Volumus quòd cum tractatur de electionibus faciēdis, ſeu cum debent fieri electiones per electores ad hoc electos, & deputatos de quocunq; officiale, de quocunq; Iudice, de quocunq; Comite, ſeu Poteſtate, quæ debent dari, & eligi per Comune Iadræ. Pater elector non posſit eligere filium, nec èconuerſo Filius non posſit eligere Patrem. Item nec Frater posſit eligere Fratrem ex vtroq; vel ex altero tantum parente natum, nec èconuerſo.

De electionibus faciendis de quocunq; officiali ciuitatis Iadræ. Cap. V.

Quia ſæpe illi qui in electionibus nominantur ſolent commouere preci-

bus animos eligentium, Volumus, precipimus, & mandamus, quòd cum ali cui de electoribus vox data fuerit per aliquem, vel aliquos de electoribus, ille cui vox data fuerit exire debeat Cameram electorum, & frater, & pater eius, ſi aliquis talis fuerit inter ipſos electores. Quod ſi nō exierint de Camera predictæ perſonæ, volumus quòd electio de ipſo facta nullam obtineat firmitatem.

De forma examinationis ſubſtituendi loco Iudicis maioris curiæ propter parentellam repellendi. Cap. VI.

Si aliquis de iudicibus maioris curiæ exiuerit, ſeu repelli debuerit propter parentellam quam haberet cum aliqua partium inſimul litigare uolentium coram ipſa curia, vel cōmutandus fuerit ex eo quòd negotium tangit vnum de ipſis iudicibus maioris curiæ, & propter hoc alter de examinatoribus fuerit ſub rogandus loco iudicis remouendi, Volumus quòd ille examinator eligendus ſit per texeram, ſeu ſortem. Idem in omnibus, & per omnia fiat quādo duo iudices, vel omnes tres exiuerint, ſeu repelli debuerint propter cauſas antedictas, vel aliquam earundem.

De electione Ambaxatoris ituri ad petitionem alicuius Ciuis pro cauſa pecuniaria expenſis petendis. Cap. VII.

Probabiliter duximus declarandum quòd cum aliquis Ambaxator, Nuntius, ſeu Preco mittendus occurrit pro aliquo Ciue extra Ciuitatem pro cauſa pecuniaria taliter eligatur, videlicet, quòd ille qui petit, ſeu requirit ambaxatores det domino Comiti, & eius Curiæ nomina duorum uel triū bonorum virorum, vnum quorum vel duos eligat dominus Comes cum Curia, & ire debeant, & teneantur expenſis petentis.

De prouiſione, & electione Ambaxatoris ituri cauſa queſtionis criminalis extra Terram, & de ſolutione. Cap. VIII.

Cum queſtio fuerit criminalis puta robariæ vel ſimilis propter quam ambaxatores, vel nuntij mittēdi ſint extra ciuitatem Iadræ, Volumus quòd ſit in prouiſione domini Comitis, & eius Curiæ vtrum mittēdi ſint ambaxatores vel nō, & ſi viſum fuerit domino Comiti, & eius Curiæ, quòd ambaxatores debeāt mitti, tunc dominus Comes, & Curia inſimul eligant ambaxatores, & de expenſis & ſumptibus faciendis ipſis ambaxatoribus prouideant de auere Comunis Iadræ ſecundum quòd per maius conſilium ciuitatis Iadræ ordinatum fuerit ſeu captum.

Qualiter admitti debeat excuſa officialis electi per dominum Comitem, & eius Curia. Cap. IX.

Quicunq;

Quicūq; electus fuerit in Nuntium, ſeu Ambaxatorem Comunis Iadræ, aut ad aliquòd aliud officium communis,ſeu publicum,ſi potuerit oſtendere aliquam iuſtam cauſam quare illud officium non poſsit comode adimplere,& Curia cognoſcat illam cauſam veram eſſe,abſolui debent ab onere ſeu officio ſibi impoſito,ſeu impenſo,& ſit in arbitrio Curiæ iudicare vtrum illa fuerit iuſta cauſa,nec ne,veruntamē ſi pœna aliqua eſt appoſita,ſi non facit officiū ſoluat pœnam,ſi iuſtam cauſam non habuerit officium deſerendi.

De arbitrio Curiæ conceſſo ſuper executione illius cui præceptum fuerit aliquod officium exercere. Cap. X.

Quoties alicui præceptum fuerit facere aliquod ſeruitium,ſeu officium ciuitatis, & iſte talis pretēdat,ſeu aleget iuſtā cauſam ſe habere,quare illud ſeruitiū adimplere non poſsit, tunc erit in arbitrio Curiæ quid ſit faciendū ſuper hoc finaliter,videlicet vtrum eius excuſatio recipi debeat,vel repelli.

De iuramento Ambaxatorum,& ipſorum officio atq; ſalario, & ſunt duo capitula. Cap. XI.

Ego Nuntius,& Ambaxator Comunis Iadræ electus ad eundum pro ipſo Comuni ad...... Iuro ad ſancta Dei Euangelia tactis ſcripturis quòd ambaxatas, & officium mihi commiſſum faciam bona fide ſine aliqua fraude prout mihi commiſſum extitit, remotis amore,timore,odio,pretio,& precibus, & reſponſionem quæ mihi facta fuerit referam,& dicam domino Comiti,& eius Curiæ,& in maiori conſilio,ſi Curiæ videbitur prout mihi facta fuerit,nullo addito,vel diminuto,ſeu mutato.

De ſalario nūtijs,& ambaxatoribus tribuēdo cōgruo,& condecētī. Ca.XII.

De ambaxatoribus qui pro Comune Iadræ ad diuerſas mundi partes neceſſario tranſmittuntur, ac eorum ſalarijs congruis, & decentibus prouidere volentes,taliter procurauimus ordinandum videlicet,quòd ambaxator qui de mādato domini Comitis, & eius Curiæ miſſus fuerit Nonam,habeat ſolidos quadraginta denariorum Venetorum paruorum,& inſuper nauigium, ſi vadit per aquam, vel equos ſi vadit per terram.

Si vero miſſus fuerit Arbum habere debeat libras decem denariorum Venetorum paruorum,& inſuper naulum barchæ.

Si autem miſſus fuerit Signam,Veglam,vel Aſſarum,vel Cherſum habere debeat ſolidos decē denariorū Venetorum groſſorū,& inſuper nauigium.

Si miſſus fuerit apud Flumen habere debeat libras viginti, & nauigium, & a Flumine ſi vadat per terram per vnam dietam, habeat libras vigintiquinq;, & equos.

Verum ſi vadat Polam, vel Parentium, habere debeat libras vigintiquinq; denariorum venetorum paruorum, & nauigium.

Si vadat Tergeſtum, vel Iuſtinopolim habere debeat libras triginta, & nauigium.

Proinde ſi miſſus fuerit Venetias habere debeat ſolidos quadraginta denariorum venetorum groſſorum, pro pagamento, & ſolutione vnius menſis, etiam ſi ipſe ambaxator minus vno menſe ſteterit quantumcunq;, ſi autem ſteterit vltra menſem, habeat pro quolibet die quo ſteterit vltra octo groſſos, & inſuper nauigium.

Per totam Marchiam Anconitanam, & per litus habere debeat Ambaxator libras quinquaginta denariorum venetorum paruorum pro primo menſe, ſed ſi ſteterit vltra menſem habeat groſſos ſex in quolibet die pro ſingulis diebus quibus ſteterit, & inſuper nauigium, & equos ſicubi fuerint oportuni per terram.

Proinde ſi Ambaxator miſſus fuerit ad Regem Karolum ſi ipſe Rex Karolus fuerit ſupra marinam habere debeat Ambaxator, libras tres denariorũ venetorũ groſſorũ pro primo menſe pro ſecundo autem mẽſe debeat habere Ambaxator ſolidos quadraginta denariorum venetorum groſſorum, & ſi ſteterit vltra duos menſes, habere debeat Ambaxator, pro quolibet die duodecim groſſos, ſi autem Rex Karolus fuerit infra terram, & non ſuper mare, habere debeat Ambaxator libras centum denariorum venetorũ paruorum, & ſecundo menſe totidem, & ſi ſteterit vltra duos menſes, habeat in quolibet die duodecim groſſos, & inſuper quando Ambaxator vadit ad Regem Karolum, ſemper & in omni caſu debeat habere nauigium ſi vadit per aquam, & equos ſi vadit, & quando vadit per terram.

Verũ ſi Ambaxator mittatur ad Curiã Romanã habere debeat libras ducentas, & nauigiũ quando vadit per aquã, & equos quãdo vadit per terrã.

Item ſi mittatur Ambaxator Vranam habere debeat libras tres denariorum venetorum paruorum, & inſuper nauigium ſi vadit per aquã, & equos ſi vadit per terram.

Si mittatur ad ſanctum Petrum de Boiſcle habere debeat Ambaxator libras tres denariorum venetorum paruorum, & inſuper equos.

Item ſi mittatur Tininum habere debeat libras decem, & inſuper equos, & ſi longius, vel propius pro rata.

Si mittatur Ambaxator Breberium, vel Scardonam, habere debeat libras quinq;, & inſuper equos ſi vadit per terram, & nauigium ſi vadit per aquã.

Si mittatur Ambaxator Sibenicum habere debeat libras decem denariorum venetorum paruorum.

Si mittatur Ambaxator Tragurium habere debeat libras quindecim denariorum paruorum.

Si mittatur Ambaxator Spaletum habere debeat Ambaxator ſolidos decem denariorum venetorum groſſorum.

Si mittatur Ambaxator Dalmixium, vel in Farram habere debeat libras decem & octo, denariorum venetorum paruorum.

Si mittatur Ambaxator Raguſium habere debeat viginti ſolidos groſſorum, & nauigium.

Si mittatur Curzolam habere debeat libras vigintiquinq; paruorum, & inſuper in omni itinere faciendo in quolibet ſupradictorum caſuum habere debeat Ambaxator nauigiũ quando vadit, & redijt per mare, & equos quando vadit, & redijt per terram.

Ad hoc volumus, & mandamus, quòd in omnibus ſupraſcriptis caſibus, & quolibet prædictorum, & in quibuslibet itineribus faciendis ſi videbitur domino Comiti, & eius Curiæ poſſit ponere ad Cõſilium de augẽdo, vel diminuendo ſalario cuiuſcunq; Ambaxatoris, & quod captum fuerit in maiori conſilio modis omnibus obſeruetur.

De iuramento Daciariorũ, & ipſorũ officio, & ſunt tria capitula. Cap. XIII.

Ego ...... datiarius portæ Ciuitatis Iadræ, iuro ad ſancta Dei Euangelia, tactis ſcripturis quòd non accipiam aliquid de datio ab aliqua perſona quæ non tenetur ſoluere datium, & quòd ab illa perſona quæ tenetur ſoluere datium non recipiam plus quam debuero habere de conſuetudine, ſeu de iure, & quòd predicta faciam bona fide, ſine fraude, remotis amore, timore, odio, precio, & precibus.

Qualibet Datiarius ſine datio Ruſticum cuiuslibet Ciuis ire permittet. Cap. XIIII.

Statuimus ac ſeruari perpetuo volumus, & mandamus quòd ille qui habuerit datium portæ permittat libere ſine aliquo datio ire villanum, cuiuſcunq; ciuis Iadrẽſis, ſi ipſum cognouerit, ſed ſi daciarius non cognouerit villanum, & per dominum villani, vel per alium fidedignum dictum fuerit eidem illum eſſe villanum Iadrenſis ciuis, volumus eum ad ſolutionem datij non teneri, nec per portenarium aliquatenus impediri.

Quod credatur ſacramento Ruſtici dicentis rem valoris ſol. xx. ſuam, aut ciuis eſſe Iadrenſis, & de datio perſoluendo. Cap. XV.

Cum aliquis villanus portauerit aliquas res extra ciuitatem Iadræ de quibus deberet accipi datium quæ communiter valerent viginti ſol. paruorum, & villanus dixerit res ſuas eſſe, vel alicuius ciuis Iadrẽſis, ſeu alicuius Ruſtici de Diſtrictus Iadræ, nullum datium ſoluat ille Ruſticus, ſi iurare voluerit ita eſſe, at ſi iurare noluerit, integraliter ſoluat datium portæ. Si vero ruſticus portauerit res aliquas de quibus comuniter, deberet accipi datium

quæ valerent ſol. quinq; paruorum vel plures aſcendendo vſq; ad xx.ſol.credatur ſuper premiſsis Ruſtico per ſuam fiduciam,ſed ſi Ruſticus portauerit res aliquas quæ valerent comuniter ſol. quinq; paruorum vel minus,credatur ſuper premiſsis ſolo verbo ruſtici, quod ſi per portarium talis ruſticus fuerit quomodolibet impeditur ſoluere. Idem portenarius compellatur Comuni Iadræ decem ſol. denariorum venetorum paruorum.

De iuramēto Cuſtodum carcerum Comunis Iadræ, & ipſorum officio atq; ſalario,& per quas perſonas claues portæ feriæ,& Caſtelli debeant gubernari de ſacramento cuſtodis carcerum. Cap. XVI.

Ego...... cuſtos..... carceris talis Comunis Iadræ,iuro ad ſancta Dei Euangelia tactis ſcripturis quòd officium cuſtodiæ talis carceris faciam bona fide,ſine fraude aliqua,remotis amore,timore, odio,precio, & precibus, & quod non recipiam ab aliqua perſona poſita in ipſis carceribus, maius precium pro meo labore quàm illud quod taxatum extitit per ſtatutū Comunis Iadræ,factum ſuper ſolutione faciēda cuſtodibus carcerum,& quod hoc ſalario ero contentus.

De ſolutione facienda Cuſtodi carceris Caſtelli. Cap. XVII.

Ad hoc vt cuilibet de ſuo labore ſatisfiat,& vt tollatur omnis occaſio de predādi captiuos, Volumus quod cuſtos ille qui retinet claues carceris ſeu Caſtelli poſsit recipere, & habere à quacunq; perſona pro debito poſita, & detenta ibidē decem,& octo denarios paruos,& quadraginta ſoldos paruorū omni menſe debeat habere à Comuni Iadræ,ab illis autē qui in forti carcere ſunt detenti accipi poſſint pro quolibet,ſolidi tres paruorū,& nō vltra.

Quod vnus de familiaribus domini Comitis, retinere debet claues portæ feriæ ſine aliquo ſalario. Cap. XVIII.

Salubriter ordinamus quod ille,vel illi, quem,vel quos,maius conſilium Iadræ duxerit eligendum teneat,vel teneant claues portæ feriæ, & aliarum portarum ciuitatis Iadræ.

Quod claues Caſtelli retineri debent per vnum Ciuem Iadrenſem. C.XXI.

Amicabiliter prouidimus ſtatuendum quod claues Caſtelli retineri debeant, & ſaluari per vnum Ciuem Iadrenſem quem Comune Iadræ ad cuſtodiam predicti carceris faciendam voluerit, & prouiderit deputandum accepta prius ab ipſo ſecuritate idonea de cuſtodia ipſius carceris, & ipſorum officio fideliter peragendis.

Quod

Quod claues portæ feriæ per illum gubernentur quem dominus Comes voluerit deputare. Cap. XX.

Volumus & auctoritate huius ſtatuti ſalubriter imperamus quod claues fortis carceris per illum gubernari debeant,& teneri,quem domini Comitis prudentia ad hoc voluerit deputare.

De iuramento Riuariorum ſeu miniſtralium, & ipſorum officio atq; ſatisfactione. Cap. XXI.

Ego...... Riuarius,ſeu miniſtralis Comunis Iadræ, iuro ad ſancta Dei Euangelia tactis ſcripturis quod ambaſatas mihi comiſſas, & officium riuariæ faciam bona fide,ſine aliqua fraude,remotis amore, timore, odio,precio, & precibus, & quod non recipiam ab aliqua perſona maius precium pro meo labore quàm fuerit ordinatum per infraſcripta ſtatuta Comunis Iadræ facta ſuper ſatisfactione Riuariorum,& quod hoc ſalario ero contentus pro meo labore.

De ſolutione facienda Riuarijs. Cap. XXII.

Iniquitatem Plazariorum miniſtralium, ſiue Riuariorum, ac ipſorum exactiones indebitas, & iniuſtas procurantes radicitus extirpare. Statuimus,vt quilibet Riuarius dum facit preceptum in Ciuitate habeat pro uno precepto ſolummodo tres denarios paruos pro ſuo labore, ſi abinde ſuperius plura fecerit precepta puta duo vel tria inſimul habeat pro quolibet precepto denarios duos & non plus.

Si vero iuerit extra Ciuitatẽ vſq; ad Siluam Starez habeat duos ſolidos paruorum,ſiue preceptum fecerit alicui,ſiue aliquem poſuerit in diſtrictã, ſeu tenutam ſiue pignerauerit, vel pro latam diffinitiuam ſententiam executioni mandauerit de mandato domini Comitis,vel Curiæ. Et hoc ſi iuerit pro vna perſona tantum, & contra vnam perſonam tantum predictis de cauſis,vel aliqua predictarum.

Si autem iuerit predictis de cauſis,vel aliqua predictarum contra plures perſonas habeat ab illo quem prius citauit pignerauit à quo tenutam accepit,vel in cuius bonis ſententiam executus eſt ſolidos duos à quolibet alio den.xii. paruos dummodo ſumma ſalarij ſui laboris non poſſit aſcendere vltra ſolidos quinq; paruorum.

Verum ſi Plazarius tranſierit dictam Siluam eundo per diſtrictum Iadræ habeat ſolidos tres denariorum venet. paruorum ſi iuerit pro cauſis ſupradictis vel aliqua ipſarum pro vna perſona,& contra vnam perſonam tãtum. Si autem iuerit predictis de cauſis, vel aliqua ipſarum contra plures perſonas habeat pro ſalario ſui laboris, ab illo quem prius citauit pignerauit, à

quo prius tenutam accepit; vel in cuius bonis ſententiam prius executus eſt, ſolidos tres, à quolibet alio denar. ſexdecim, dum tamen nõ poſſit aſcendere vltra ſummam ſolidorum octo.

Si autem iuerit ad inſulas ſanctorum Michaelis & Damiani, habeat pro itinere ſuo & ſalario ſui laboris ſolidos quatuor denariorum venet. paruorum, ſi iuerit ad petitionem vnius perſone pro cauſis ſupradictis, & contra vnam perſonam tantum, ſi autem iuerit predictis decauſis, vel aliqua ipſarum contra plures perſonas habeat ab illo quem prius citauit pignerauit à quo prius tenutam accepit, vel in cuius bonis ſententiam prius executus eſt ſolidos quatuor, pro quolibet alio ſolidos duos paruorum, dummodo ſalarium ſui laboris non poſſit aſcendere vltra ſolidos decem paruorum.

Si autem Miniſtralis iuerit ad Maiorem Inſulam, vel ad illam de Pago, vel ad alias quaſcunq; Comunitatus Iadræ predictis decauſis habeat pro labore ſui itineris ſolidos quinq; paruorum, ſi iuerit contra vnam perſonam tantum, ſed ſi iuerit predictis decauſis, vel aliqua ipſarum contra plures perſonas habeat ab illo quem prius citauit pignerauit à quo prius tenutã accepit, vel in cuius bonis ſententiã prius executus eſt ſolidos quinq; paruorum, à quolibet alio vnum venetum groſſum, dum tamen eius ſalarium non poſſit aſcendere vltra ſummam groſſorum ſex.

De ſalario Riuarij de rebus venditis ad Incantum. Cap. XXIII.

Si res aliquæ, aut poſſeſſiones fuerint venditæ ad Incantum, riuarius qui fecit Incantum, debeat habere pro ſalario ſui laboris, duos denarios pro qualibet libra pecuniæ receptæ, ſeu acceptæ de re vendita ad Incantum, ita tamen quod eius ſalarium non poſſit aſcendere vltra vnum perperum, verum ſi plazarius incantauerit tantum, ſed res ipſe non fuerint deliurate, habeat medietatem ſalarij ſupradicti.

Quod Riuarius nihil percipiat de bonis Comunis venditis ad Incantum. Cap. XXIIII.

Cum Commune Iadræ res, vel poſſeſſiones aliquas vendiderit ad incantum, nihil debeat percipere Riuarius ſi gratis, & ſine premio aliquo debeat res ipſas fideliter incantare fauore Comunitatis predictæ.

De ſalario dando Riuario pro itinere ſuo, ſecundum prouiſionem Curiæ. Cap. XXV.

Si Riuarius mittatur pro Comune extra Ciuitatem Iadræ prouideatur eidem ſecundum Curiæ prouiſionem habita iuſta extimatione pro labore itineris faciendi.

De ſolutione facienda Riuario de ducendo aliquem ad Carceres. Cap. XXVI.

Volumus & mandamus quod quilibet Plazarius pro eo quod detinuit aliquam perſonam & deduxit ad Carceres habeat ſex denarios paruos & non plus,quibus ſex denarijs perceptis & habitis, teneatur idem plazarius reſtituire,& integraliter aſſignare omnes res quas habuit & recepit de bonis ipſius Carcerati.

De ſolutione fienda Plazario de cuſtodiendo aliquem. Cap. XXVII.

Si data eſt aliqua perſona alicui Miniſtrali in cuſtodia habeat pro ſalario ſuæ cuſtodiæ ſolidos tres pro quolibet die,ſed ſi partem diei vſq; ad mediam diem cuſtodiret, & non per totam diem habeat denarios decem & octo paruos,& non plus & de iſtis contentetur,ſed ſi vltra nonam cuſtodierit,habeat integros ſolidos tres.

Quod Miniſtralis nō audeat vltra preciū ſuū recipere donū. Cap. XXVIII.

Communibus vtilitatibus miſericorditer prouidendo, ac doloſas,ac iniquas quorundam Riuariorum extorſiones terribiliter compeſcendo duximus ſalubriter ſtatuendum,quod aliquis Miniſtralis Comunis Iadræ non audeat ab aliqua perſona aliquid accipere nomine doni, vel alio modo, ſeu nomine,niſi illud tantummodo quod eis permiſſum eſt accipere & habere ex forma Capiulorum ſupra in hoc Titulo cōprehenſorū.Ad Miniſtralis vero qui vltra accipere preſumpſerit ſoluat duplum extorte indebite quantitatis,& inſuper aliter puniatur. Si domino Comiti videbitur & eius Curiæ quòd delictum fuerit puniendum aliter.

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

De iudicibus, & placitis, & iuriſdictione omnium iudicum Comunis Iadræ.Continet iſte Titul. X. Capitula.

IN primo capitulo agitur de iuriſdictione quorumlibet iudicum ratione conſanguinitatis ſuſpenſione.

In ſecundo capitulo dicitur definite & terminate iuriſdictionis Maioris Curiæ in quarta iudicum mudua renouatione.

In tertio capitulo proſequitur de iudicis ratione teſtimonij preſtiti in cauſa repulſione.

In quarto capitulo ſequitur de termini octo dierum Iudicibus maioris Curiæ non ſinceris aſſignatione.

In quinto capitulo ſequitur de iudicum aliarum Curiarum allegantium ſe non eſſe ſinceros artatione.

In ſexto capitulo ſequitur de facienda per ſortem remoti iudicis propter parentelam, vel quia negocium ipſum tangit ſubrogatione.

In ſeptimo capitulo ſequitur de inſtituenda iudicum mobilium rerum cognitione.

In octauo capitulo ſequitur de cauſarum, ſeu litigiorum forenſium perſonarum expeditione.

In nono capitulo proſequitur de vniuerſali domini Comitis & eius curiæ iuriſdictione.

In decimo capitulo de ſpeciali Curiæ domini Comitis, ſeu maioris Curiæ recognitione.

Qualiter debitor, ſeu reus citari, ſeu conduci debeat ad placitum, & de poteſtate factæ citationis. Titulus iſte continet ſex Capitula.

In primo capitulo Inſtruitur quid cōtinere debeat Miniſtralis notificatio.
In ſecūdo capitulo īſtruitur quibus diebus & terminis poſsit fieri Citatio.
In tertio capitulo inſtruitur quotiens, & qualiter extra diſtrictum Iadræ contra Ciuem Iadrenſem fieri debeat requiſitio.
In quarto capitulo quod de citatione queſtionis per maiorem Curiā terminande ſcribatur miniſtralis Relatio.
In quinto capitulo conceditur publicorū malefactorū perſonalis detentio.
In ſexto continetur de fugitiui furtiue debitoris captione.

Ne Filius pro Patre, vel ècontra, aut Maritus pro Vxore, vel ècontra, aut Mater pro Filio, vel ècontra conueniatur, & quando, & quomodo alter pro altero poſſit conueniri, & ad ſolutionem vrgeri. Titulus iſte continet nouem capitula.

In primo cap. dicitur quando Filius emancipatur, vel habitans extra domū Patris poteſt conueniri propter debita paterna & quādo non poteſt.
In ſecundo capitulo dicitur quod ille qui rem alicui accomodauit non poteſt illam petere niſi ab illo cui accomodauit & non ab alio.
In tertio dicitur quando & qualiter aliquis Ciuis poteſt & debet contra Forenſem & non obligatum proſequi ius ſuum, ſeu qualiter repreſalie conceduntur Ciuibus Iadræ.
In quarto dicitur quòd ex contractu Filij emancipati, vel habitantis extra domum Paternam, vel Maternam, Pater, vel Mater non conueniatur, niſi in certis caſibus.
In quinto capitulo continetur quòd Mater Pupillorū, vel nouerca non poſſit inquietari pro Filijs, vel Filiaſtris exiſtentibus in Pupillari etate.

In ſexto

In ſexto capitulo dicitur quòd Vxor pro Marito non inquietetur.
In ſeptimo capitulo dicitur quòd Filius in poteſtate exiſtens pro Patre non inquietetur niſi in caſu.
In octauo cap. dicitur quòd ex perſona, vel delicto Vxoris, Maritus nõ conueniatur.
In nono capitulo dicitur quòd ex perſona Domini, vel Patroni ſeruus non inquietetur vel ècontra.

Per quas perſonas agere, conueniri, ſeu ad placitũ trahi poſſint minores viginti annis, furioſi & mentecapti. Titulus iſte continet quinq; capitula.

In primo capitulo agitur per quas perſonas mentecapti .i. minores ſeptem annis debeant ſe tueri, & in iudicijs placitare.
In ſecundo capitulo ſubijcitur per quas perſonas maſculus maior .xiiij. annis & Fœmina maior .xij. annis, minores tamen .xx. annis debeant ſe tueri, & in iudicijs placitare.
In tertio cap. ordinatur per quas perſonas mentecapti debeant ſe tueri.
In quarto capitulo ordinatur per quas perſonas furioſi debent gubernari.
In quinto capitulo ordinatur quòd fidei comiſſarius generalis, vel ſpecialis relictus per teſtatorem, vel creatus per curiam alicui minori .xx. annis poteſt agere, & in placitis reſpondere.

De Procuratoribus ſeu per quas perſonas maiores annis .XX. poſſunt in placitis intereſſe, Titulus iſte continet .XI. capitula.

In primo capitulo continetur quòd quilibet per procuratorẽ poſſit in placitis intereſſe dum tamen facta fuerit procurationis cõmiſſio, prout in ipſo primo capitulo continetur.
In ſecundo capitulo continetur de ſpecificatione caſuum in quibus mandatum exigitur ſpeciale.
In tertio capitulo notatur quòd Filiusfamilias poteſt eſſe procurator, etiam abſq; conſenſu Patris.
In quarto capitulo notatur quòd Procurator ad placita debet habere .XX. annos, & non pauciores.
In quinto capitulo notatur quòd Procurator qui habet mandatum ſpeciale ad aliquem articulum in quo commiſſio exigitur ſpecialis, adiecta generali clauſula poſſit ad caſus ſpeciales etiam non expreſſos in commiſſione extendere commiſſionem ſuam.
In ſexto capitulo notatur quod Dominus non poteſt reuocare procuratorem poſtquàm incepit placitum niſi in certis caſibus.
In ſeptimo capitulo notatur quòd Dominus tractando placitum ſuum videtur procuram tacite reuocaſſe.
In octauo capit. notatur quòd inſtrumento commiſſionis facto alibi quàm

in Ciuitate Iadræ nulla fides habeatur niſi cum literis teſtimonialibus Rectoris loci in quo factum fuerit inſtrumentum.

In nono cap. prohibetur ne Ciuis poſſit eſſe procurator foreſis cōtra Ciuē.

In decimo capitulo notatur quòd ille qui paratus eſt ad viagium teneatur in certo caſu procuratorem relinquere.

In vndecimo capitulo docetur quòd omnis commiſſarius poſſit per procuratorem reſpondere & placitis intereſſe.

De preſentatione debitoris, ſeu rei citati, & quando, & qualiter procedatur ad tenutā dandā cōtra eū ſi nō venerit ad placitū in termino ſibi aſsignato.

In primo capitulo cauetur qualiter procedatur contra reum citatum comparentem, uel nòn uenientē quando ab ipſo petitur ſine carta minor ſumma ſolidorum.xx.paruorum.

In ſecundo capitulo cauetur qualiter procedatur contra debitorem quando petitur minor ſumma ſolidorum centum paruorum deſcendendo uſq; ad.xx.ſolidos paruorum.

In tertio capitulo cauetur qualiter procedatur contra debitorem quando petitur ſine carta maior ſumma ſolidorum centum paruorum aſcendendo uſq; ad.x.libras paruorum.

In quarto capitulo cauetur qualiter procedatur contra debitorem quando petitur ſine carta ab ipſo maior ſumma decem librarum aſcendendo uſq; ad.xxv.libras paruorum.

In quinto capitulo cauetur qualiter procedatur contra debitorem quando petitur ab ipſo ſine carta maior ſumma.xxv.librarum aſcendendo uſq; ad quinquaginta libras paruorum.

In ſexto ca. qualiter procedatur contra reū cū petitur ab ipſo ſine carta maior ſumma librarum.L.aſcendendo uſq; ad quantūcunq; quantitatem.

In ſeptimo notatur quòd petitor ponatur in diſtrictam bonorum debitoris quæ elegerit quibuſdam exceptis.

In octauo capitulo quòd res in quibus debet poni in diſtrictam petitor debeant ualere tertium plus.

In nono capitulo notatur quòd poſt ſonum campanæ ad tertiam, apud eccleſiam S.Petri debeat concedi diſtricta.

De Preſentatione, ſeu comparitione rei citati in placito ſuper debito inſtrumenti, & quando, & qualiter procedatur ad dandum tenutam, ſeu diſtrictam contra ipſum ſi non uenerit ad placitum in termino ſibi totaliter aſsignato. Titulus iſte continet tria capitula.

In primo capitulo notatur qualiter procedatur contra reum citatum uenientem uel nòn, cum quicquàm per cartam petitur ab eodem.

In ſecundo capitulo notatur qualiter procedi debeat contra Iadrenſem habitatorem alienigenæ Ciuitatis.

In tertio capitulo notatur de bonis debitoris eligendis per petitorem priuſquàm ponatur per Curiam in diſtrictam.

De præſentatione illius qui uocatus fuerit ad placitum ſuper aliqua poſſeſſione, & quando,& qualiter procedatur ad dandum tenutam contra ipſum ſi non uenerit ad placitum in termino ſibi per Curiam aſſignato. Titulus iſte continet quatuor capitula.

In primo capitulo docetur qualiter procedatur contra citatum non comparentem ſuper aliqua poſſesſione.

In ſecundo capitulo docetur qualiter procedatur contra reum citatum nō uenientem poſt monſtram ſibi factam per Tribunum.

In tertio capitulo docetur quòd ſufficiat unica monſtra ſi facta fuerit temporibus unius Comitis.

In quarto capitulo docetur quòd quando fit & precipitur fieri monſtra, reduci debeat in ſcripturam.

De poſtulando, ſeu aduocando pro alijs coram quacunq; Curia in placitis. Titulus iſte continet duo capitula.

In primo cap. cauetur quòd aduocatus ciuis posſit pro forinſeco poſtulare.

In ſecundo capitulo cauetur, qualiter prohibetur aduocatis quibuſdam nō poſſe aduocare coram Patre, Filio vel Fratre Iudice.

De dilationibus & diebus feriatis, & non feriatis. Titulus iſte continet tria capitula.

In primo capitulo inſtruitur de dilatione danda infirmo,& qualiter procedatur contra eum ſi non venerit in dilationem.

In ſecundo capitulo inſtruitur qualis dilatio dari debeat reo prima vice vocato ad placitum.

In tertio capitulo inſtruitur quis dies dici debeat feriatus.

De ſatiſdando, ſeu danda ſecuritate idonea de parendo iuri. Titulus iſte habet vnum capitulum.

In iſto vno capitulo declaratur qualiter procedatur contra debitorem paratum ad viagium faciendum.

De ſequeſtratione bonorum ſuſpecti debitoris. Titulus iſte comprehenditur ſub vno capitulo.

In iſto capitulo monſtratur qualiter procedatur ad ſequeſtrationem bonorum debitoris ſuſpecti iuſta, & rationabili cauſa.

De Arbitris. Titulus iſte continet tria capitula.

In primo cap. notatur quòd ſi in plures iudices, ſeu alios fuerit cõpromiſſũ ſtandũ ſit quod valet ſentẽtia per maiorẽ partem Arbitrorũ promulgata.
In ſecundo capitulo notatur quod ſi in vnum arbitrum fuerit compromiſſum ſtandum erit ſententiæ per ipſum promulgatæ.
In tertio capitulo notatur quod compromiſſum ſiue carta factum à decem libris ſupra nullius debet eſſe momẽti ſi partes cõtradicere vuoluerint.

De probationibus. Titulus iſte continet. VII. capitula.

In primo capitulo docetur qualiter probetur debitum quinq; vel decem librarum paruorum.
In ſecundo capitulo docetur per quem debent teſtes examinari.
In tertio cap. docetur ex fama publica probatur filiatio & conſanguinitas.
In quarto capitulo docetur qualiter incumbit probatio debitori ſi petitor ſolutionem denegabit.
In quĩto capitulo docetur quis probare habet ſuper queſtionibus poſſeſſionum, an qui poſſidet, an qui petit.
In ſexto docetur, quod quando Actor non probat, Reus debet abſolui, etiam ſi nihil probet.
In ſeptimo docetur quod nullius probationes admittantur niſi intentio ſit in ſcriptis primitur aſſignata.

De Teſtibus. Titulus iſte continet. VI. capitula.

In primo cap. cauetur quod nomina teſtiũ producendorũ in cauſis ſpecificata ſecreto reduci debeant in ſcripturam, & probanda intentio in ſcriptis aſſignari, & huiuſmodi teſtes poſtea citẽtur ad perhibẽdũ teſtimoniũ.
In ſecundo capitulo cauetur per quem teſtes debeant examinari.
In tertio capitulo cauetur qualiter puniantur teſtes qui doloſe ſe ſubtraxerint de teſtimonio perhibendo veritati.
In quarto / In quinto } capitulo cauetur qualiter producti teſtes debeant examinari.
In ſexto capitulo cauetur, quomodo, qua forma & ordine breuiarium teſtium debeat ordinari.

De iuramento preſtando, ſeu faciendo in placitis. Continet iſte Titulus. VII. capitula.

In primo

In primo capitulo monetur quod creditor teneatur debitoris credere ſacramento,qui ſine teſtibus & carta pecuniam mutuauit.

In ſecundo capitulo monetur qualiter ſacramentum filio, vel filiæ familiæ, aut alicuius heredi ſuper contractu producto tontra aliquem denegantem debeat exhiberi.

In tertio monetur de termino trium dierum parti asſignado ad iurandum ſi petierit deliberandi cauſa,& non malitiæ motu neq; dolo.

In quarto monetur qualiter ſtari debet ſacramento debitoris ſine carta in minori quantitate librarum decem niſi per teſtes contrarium videretur.

In quinto capitulo monetur de ſacramento preſtando domino rei locate ſi infra duos annos poſtulauerit à conductore, & quibus perſonis nô obſit.

In ſexto capitulo monetur qualiter ſtandum eſt ſacramento Domini ſi conductor citatus non comparuerit in primo termino reſponſurus.

In ſeptimo capitulo monetur qualiter ad poſtulationem ſecundi creditoris ſacramentum dari debet primo creditori ſi opponatur quod inſtrumentum productum ſit fictitium,vel pagatum.

De fide Inſtrumentorum & de Tabelionum officio & ſatisfactione deceti. Titulus iſte continet xvii.capitula.

In primo capitulo continetur quod defuncto notario alius idoneus per dominum Comitem, & Curiam eligatur qui inſtrumenta ex ipſius in breuiaturis reducat in publicam formam.

In ſecundo capitulo continetur quod notarius facta ſibi ſolutione nomina teſtium, & contrahentium,& quantitatem cum die, & menſe, & anno in continenti ſcribere teneatur.

In tertio capitulo continetur quòd notarius pro ſcribendo contractu rogatum,ſibi faciat ſatisfieri,quia contractu reperto in nota notario credatur eſſe ſolutum.

In quarto capitulo continetur quòd Curia de partibus inſimul obligatis partem affugientem examinatorem rogare compellat.

In quinto continetur quòd examinator compellatur manum imponere cartulæ iuxta finem mẽſis à partibus approbatæ ſi vnius partis copia haberi non poſſet.

In ſexto continetur quòd Notarius recepta ſolutione poſtquàm rogatus fuerit à partibus contractum de verbo ad verbum in libro in breuiaturarum ponere teneatur.

In ſeptimo capitulo continetur, ne aliquis Filiusfamilias in poteſtate Patris,vel Matris manentibus mutuas pecunias dare preſummat.

In octauo capitulo continetur quòd omnes cõtractus facti vſq; ad publicationem ſtatutorum in ſuo debeant robore permanere.

In nono capitulo continetur, quòd Notarius teſtamentum in breuiatu-

ris poſitum perfectum hæredibus & comiſſarijs dare teneatur, & ſibi autenticam Matrem reſeruare.

In decimo continetur quòd non poſſit addici in inſtrumento cuiuſcunq; rei aut quantitatis maior pœna quàm ſit quarta pars illius rei, vel debiti in carta comprehenſi.

In vndecimo cõtinetur quod alicui Tribuno credi non debeat ſuper illo negocio in quo datus fuerit in priſtaldum.

In duodecimo continetur de ſolutione facienda Notario ſuper teſtamentis conficiendis.

In tertiodecimo continetur de ſolutione facienda Notario ſuper alijs inſtrumentis preterquàm de teſtamentis.

In quartodecimo continetur quod Notarius de quolibet breuiario teſtamenti poſſit accipere groſſos duos & dimidium.

In quintodecimo continetur quam pœnam pati debeat Notarius ſi ſolutionem acceperit vltra formam in ſtatutis aſſignatam.

In ſextodecimo continetur ne fides aliqua habeatur alicui inſtrumento alibi facto quàm in Iadra niſi teſtimoniales literas Rectoris loci producat.

In decimoſeptimo continetur quod de quacunq; venditione, donatione, alienatione vineæ, domus, & cuiuslibet poſſeſſionis facta à libris decem paruorum ſupra fiat publicum inſtrumentum.

De Præſcriptionibus, & quemadmodum incepta præſcriptio interrumpatur. Titulus iſte continet quinq; capitula.

In primo capitulo notatur quod quicunq; poſſederit poſſeſſionem per ſpatium triginta annorum pacifice & iuſto titulo intelligatur ex præſcriptione temporis verus dominus & poſſeſſor.

In ſecundo capitulo notatur, qui ſint iuſti tituli.

In tertio cap. notatur qualiter preſcriptio interrumpatur.

In quarto capitulo notatur quod ſi creditor ceſſauerit per triginta annos debitum carte petere, vel cauſari inſtrumentum habeatur inefficax.

In quinto capitulo notatur quod ſi Paſtinator poſſederit terrã paſtinatam per triginta annos ſine queſtione non poſſit vlterius à domino moleſtari.

De Preſumptionibus. Titulus iſte continet. xiii. capitula.

In primo capitulo docetur quod Paſtinator ex forma pacti cum Domino prius facti poſſeſſionem laborans non videatur turbare diſtrictam.

In ſecundo capitulo docetur quod ſi Notarius repertus fuerit poſuiſſe contractum in noctam preſummatur ſupra fore ſolutum.

In tertio capitulo docetur, quod aliquis exiſtens in etate quindecim annorum fecerit repromiſſam vxori preſumatur repromiſſa valere.

In quarto capitulo docetur quod quicunq; locauerit, vel conuentauerit ali cui terram ad paria bouum preſumatur quod conuentio facta ſit de ſexa ginta gognais terræ pro quolibet bouum pario.

In quinto cap. docetur quod poſſeſſor preſumatur eſſe reductus in priſtinũ ſtatum præſcriptionis ſi petitor citatus queſtionem deſerat inchoactam.

In ſexto capitulo docetur quod ſi quis murum in altitudine vnius paſſus & dimidij laborauerit, & poſſederit in quiete per annum cenſeatur verus Dominus & poſſeſſor exceptis quibuſdam perſonis.

In ſeptimo capitulo docetur infra tempus fratres & ſorores per ſe habitan tes debeant diuidere bona ſua.

In octauo capitulo docetur ſi aliquis partem debiti ſoluerit infra terminũ ex carta obligatus in illa quantitate rupta cartula minime preſummatur.

In nono capitulo docetur quod fama publica precedente aliquis, vel aliqua dicatur filius, vel filia alicuius preſummatur eius eſſe filius, vel filia de quo fama laborat.

In decimo capitulo docetur quod licet vxori ex teſtamento vti thoro com-muni ſit conceſſum præſumendum, eſt quod vendendi, vel alienandi bo-nã nullam habeat poteſtatem.

In vndecimo capitulo docetur quod reo poſſidente alia bona valentia vltra debitum quod tenetur, creditor non poſſit poni in diſtrictam armorum lectorum, ſupralectorum, veſtimentorum, & domorum cum illa bona obligata minime cenſeantur.

In duodecimo docetur qualiter Dominus preſumitur reuocaſſe procurato rem ad vnam cauſam conſtitutum.

In decimotertio, quod quis bona fide & iuſto titulo poſſederit per triginta annos continue, verus Dominus preſumatur.

De Pena temere litigantium. Titulus iſte continet tria capitula.

In primo capitulo cauetur quam penam incurrat actor non comparens in terminis citato reo comparente.

In ſecundo cap. cauetur quæ expenſæ in cauſa facte legitime reputentur.

In tertio capitulo cauetur Dominus paſſus per operarium ad placitum euocari non ſolum precium verum etiam expenſas & dies operarios per dictos ſoluere compellatur.

De ſententia & re iudicata. Titulus iſte continet quinq; capitula.

In primo capitulo notatur quod dominus Comes difinitiuam ſententiam ſuper re ſtabili ferre debeat in ſcriptis preſente Tribuno, qui mãdet ipſum breuiarium fieri in ſpatium octo dierum.

In ſecundo capitulo notatur quod ſuper re mobili licitum ſit domino Co-

miti ſentētiam in ſcriptis, vel ſine ſcriptis ferre pro libito voluntatis preſente Tribuno, qui breuiarium fieri mandet.

In tertio capitulo notatur quod ſi dubitatio aliqua orta fuerit inter partes difinitioni Curiæ ſit ſtandum & non tribuni.

In quarto capitulo notatur quod ſi pars contra quam ſententia fuerit promulgata non inuenitur in Iadra, vel eius diſtrictu, vel citata non comparuerit Tribunus cauſa rem ſententiam ſcribi faciat per Notarium Iadræ in publicam formamq; reduci.

In quinto capitulo continetur qualiter tabellio de mandato tribuni debeat facere inſtrumentum ſententiæ promulgatæ.

De Executione ſententiæ & cuiuslibet rei iudicatæ.
Titulus iſte continet vi. capitula.

In primo capitulo declaratur quod executio ſententiæ fieri debet & poſſit per dominum Comitem, vel cui commiſerit.

In ſecundo capitulo declaratur quod creditor poni poſſit in tenutam, ſeu diſtrictam bonorum debitoris preterquàm lectis, ſupralectis, armis, veſtimentis, & domo in qua habitat vſq; ad duplū eius quod debetur, quibus deficientibus ad nomina & alias res predictas ad voluntatem eius.

In tertio capitulo continetur de preſentatione denarij facienda Reo, vt redimat tenutam & de faciendo ipſam incantari.

In quarto capitulo quod in executione ſententiæ citetur reus quando denarius præſentatur vel ad domum cridetur ſi eſt abſens.

In quinto continetur de executione ſententiæ ſuper bonis ſuſpecti debitoris ſequeſtratis & per ſententiam condemnati.

In ſexto capitulo continetur qualiter executio ſententiæ debet fieri contra debitores, debitoris condemnati per ſententiam ſi caret alijs bonis in quibus creditori nequiſſet ſatisfieri niſi in nominibus.

LIBER

DE IVDICIBVS ET PLACITIS ET IVRISDIctione omnium iudicum Comunis Iadræ. Cap. I.

CVM MAGISTRA rerum experientia nobis ſe piſſime indicauit quod carnalitatis affectus faciat multotiens claudicare animum iudicantis ex quo ſequitur ſententia abortiua, ſeu contraria rationi. Volentes huic morbo celeriter obuiare. Statuimus quod nullus Pater poſſit eſſe Iudex in queſtionibus Filiorum, neq; Frater poſſit eſſe Iudex in queſtionibus Fratris, vel Sororis, neq; Nepos poſſit eſſe Iudex in aliqua queſtione Patrui, vel Auunculi, neq; Socer poſſit eſſe Iudex in aliqua queſtione Generi, neq; Filius Filij, vel Filiæ poſſit eſſe Iudex in queſtionibus Aui, vel Auiæ, nec aliquis Conſanguineus poſſit eſſe Iudex in queſtionibus Conſanguinei Germani, nec Cognatus poſſit eſſe Iudex in aliqua queſtione Cognati, neq; ècontra, ſeu èconuerſo ſeparatim ſpecialiter, ac diuiſim in quolibet caſuum predictorum, & in quibuſlibet perſonis ſuperius enarratis, ſeu ſingulariter diſtrictis.

De finitæ, & terminatæ iuriſdicionis maioris Curiæ in quarta Iudicum mudua Renouatione. Cap. II.

Volumus quòd nullus poſſit eſſe Iudex in Curia maiori domini Comitis ante quartam muduam, ſeu iudicum mutationem, ſed in ipſa quarta mudua, ſeu mutatione iudicum libere quilibet eligatur, & valeat eſſe Iudex in Curia domini Comitis.

Declaratum fuit per reformationem maioris Conſilij factam die xxvij. Menſis Maij vltimo Anno ſecundi Regimini Comitatus domini Michaelis Mauroceni, quòd quilibet qui fuerit iudex maioris Curiæ, ſi ceſſauerit vno anno ab ipſo officio, libere poſſit eſſe Iudex ſi electus fuerit, & quòd ſtatutum hoc ſic intelligi debeat & ſeruari.

De Iudicis repulſione, ratione teſtimonij præſtiti in cauſa. Cap. III.

Statuimus quòd ſi aliquis teſtis teſtificatus fuerit ſuper re, ſeu aliqua queſtione, non poſſit poſtea eſſe iudex ſuper illa re ſiue queſtione, quod ue

rum eſſe, Volumus, & mandamus ſi de illa re aut queſtione dixerit, ſeu aliquid ſcire in teſtimonio ſuo, & ſuper aliquo ſibi noto depoſuerit dictum ſuum, ſed ſi dixerit nihil ſe ſcire omnino de ipſa re, ſeu queſtione, hoc non obſtante, quod productus fuerit in teſtem poſſit, & valeat eſſe iudex in queſtione predicta hoc non intelligatur nec locum habere poſſit in negocijs publicis, ſeu Comunis Iadræ.

De Termini octo dierum iudicibus maioris Curiæ non ſinceris aſſignatione. Cap. IIII.

Si aliquis, ſeu aliqui iudicum maioris Curiæ alegauerit, dixerit, ſeu proteſtatus fuerit ſe non eſſe ſincerum, & ſe dubitare ſuper aliquo ſtatuto, ſeu ſuper aliquibus ſtatutis, aut etiam ſuper verbis ipſorum, aut etiam ſuper quacunq; ſententia ferenda per maiorem Curiam ſuper quacunq; re, Volumus quòd dominus Comes aſſignare debeat eidem, aut eiſdem terminũ octo dierum ad ſincerandum ſe, & plenarie diliberandum. Quo termino octo dierum tranſacto, ſi in ſua duritia, & contumatia ſeu malitia produraret, extũc in antea repellatur de officio iudicatus, nec ad illud officium perpetuo in poſterum eligatur, nec etiam poſſit iudicatus officium in aliqua Curia exercere, ſed ineligibilis ſit omnino.

De iudicum aliarum curiarum alegantium ſe non eſſe ſinceros arctatione. Cap. V.

Cum duo ex iudicibus aliarum Curiarum à Curiam domini Comitis aligauerint, dixerint, & proteſtati fuerint ſe non eſſe ſincero ſuper quacũq; queſtione verbo, ſeu verbis ſtatuti, aut ſuper quacunq; re, ſeu ferenda ſentẽtia, & acciderit quòd vnus dicat ſe eſſe ſincerum, Volumus quòd ille qui eſt ſincerus venire teneatur coram domino Comite, & eius Curia ad eſponendum ſibi negotium ſicut eſt, & tunc D. Comes cum Curia debeat eiſdẽ terminum octo dierum aſſignare ad ſincerandum ſe, quo termino tranſacto ſi in ſua duritia, & malitia perſeuerarent, extunc in antea ab officio iudicatus in perpetuum repellantur.

De facienda per ſortem remoti iudicis propter parentellam, vel quia negotium ipſum tangit, ſubrogatione. Cap. VI.

Si aliquis de Iudicibus maioris Curiæ exiuerit, ſeu repelli meruerit propter parentellam quam haberet cum aliqua partium inſimul litigare volentium coram Curia, vel commutandus ex eo fuerit, quòd negotium tangat vnum de ipſis Iudicibus maioris Curiæ volentes quòd ſine ſuſpitione aliqua in omni litigio Iudice procedatur, Statuimus quòd loco ipſius talis

Iudicis ſubrogetur, ſeu ponatur vnus de examinatoribus Comunis Iadræ eligēdus per texeram,ſeu ſortem,idem in omnibus, & per omnia fiat quando duo Iudices,vel omnes tres exiuerint,ſeu repelli debuerint propter cauſas antedictas,vel aliquàm earundem.

De inſtruenda Iudicum mobilium rerum cognitione. Cap. VII.

Cum Iudices mobilium rerum, & partes citent, & cauſas audiant ſine placitum,ac ſententiare teneantur ſuper ipſis cauſis, Volumus, & mandamus quòd ita demum ipſorum ſententiæ valeant,& proceſſus, ſi duo ex ipſis interfuerint ſententijs, & proceſſibus antedictis, verum ſi vnus tantum Iudex interfuerit,Volumus quòd per vnum iudicem ſētētiam fuerit,nullius ſit valoris niſi ſententia fuerit de viginti ſolidis denariorum Venet.paruorum,vel de minori ſuma, tunc enim valeat quod per vnum ex Iudicibus rerum mobilium fuerit determinatum.

De cauſarum,ſeu litigiorum Forenſiū Perſonarū expeditione. Cap.VIII.

Certum eſt iure caueri quod quiſq; iuris in aliū ſtatuerit eodem iure ipſe vti omnimode teneatur,& ideo, Volumus,ac preſentis cōſtitutionis oraculo obſeruari mandamus, quòd illud ius quod fieret in Sclauonia in ciuitatibus Dalmatiæ,& alibi vbicunq; ciuitatibus noſtris Iadrenſibus, & cæteris perſonis diſtrictus Iadræ,tam ſuper debitis, & pœnis debitorum quàm ſuper captione perſonarum pro debitis,& etiam ſuper furtis,ſeu rapinis, & generaliter ſuper quibuſcunq; alijs contractibus, & rebus, & delictis, illud idem ius fiat,& fieri debeat per D.Comitem, & eius Curiam in ciuitate Iadræ hominibus ciuitatum, & locorum ſuperius expreſſorum. Per hoc tamen ſtatutum,nolumus aliquod preiuditium generare pactis,& conuentionibus quas habemus cum certis ciuitatibus Dalmatiæ, & aliarum prouinciarum, ciuitatibus,ſeu locis.

De vniuerſali domini Comitis,& eius Curiæ iuriſditione. Cap. IX.

Volumus, precipimus, & mandamus quòd proceſſus cuiuſcunq; cauſæ, ſeu placiti,& etiam ſententia fieri poſſint, & debeant per dominum Comitem,& eius Curiam.

De ſpeciali Curiæ domini Comitis,ſeu maioris Curiæ cognitione. Cap.X.

Fauorabiliter duximus ordinandū quod Curia domini Comitis intelligatur quando dominus Comes eſt preſens cū iudicibus ſuis,vel alter de mādato domini Comitis eſt preſens in placito cum iudicibus maioris Curiæ.

Qualiter Debitor, ſeu Reus citari, ſeu conduci debet ad placitum, & de poteſtate factæ citationis quid continere debeat miniſtralis notificatio. Cap. XI.

Volentes Petitorem cuiuſcunq; rei ingreſſum placiti legitime ſubintrare ſatis ordinabiliter prouidimus ſtatuendum. Quod quando aliquis vult de altero ſuper quacunq; re debito, ſiue carta poſſesſione, uel contractu ius aliquod poſtulare ante omnia petitor ipſe accipiat miniſtralem per quam citetur Reus, & notificetur eidem quid ab ipſo petitur, & ad cuius petitione citetur, & coram quo iudice vocetur, & ad quem diem debet in placito comparere petitori reſponſurus de iure aliter autem facta citatio nulla ſit, nec ex ea posſit contra aliquem procedi, & factus vigore alterius citationis proceſſus nullius ſit valoris, niſi forte Reus voluntate ſpontanea procedit in cauſa, & patiatur tenutam, vel contra ipſum diffinitiua ſententia proferatur, quod ideo ſtatuitur quare citationem quæ prius non valuerit videtur poſtea Reus citatus tacite approbaſſe.

Quibus diebus in terminis posſit fieri citatio. Cap. XII.

Satis probabiliter ordinauimus quod in Ciuilibus cauſis posſit citari Reus per Miniſtralem die Lune, vt compareat die Mercurij, Item poteſt citari die Mercurij, vt compareat die Veneris, Item die Veneris per die Lune, vel die Sabati per die Lune, minor autem, aut maior terminus dari non posſit citato per ipſum Miniſtralem niſi hoc procedat, & fiat ex cauſa de comisſione maioris, vel minoris Curiæ ſpeciali.

Corectum, & emendatum eſt de in ſtatutum incipiens ſatis probabiliter, ordinamus forma Reformationis maioris Conſilij capte die ſexto menſis Iunij anno 1317. Indictione quintadecima, quod in cauſis ciuilibus coram Curia maiori, & coram Curia iudicum de mobili ventilandis Reus citari posſit per miniſtralem Curiæ quomodolibet die ſeptimane, ſeu ebdomade, vt compareat per die Lune proximæ ſubſequenti.

Quotiens, & qualiter extra diſtrictum Iadræ contra Ciuem Iadrenſem fieri debeat Requiſitio. Cap. XIII.

Vt Ciues haberi Iadrenſes compellatur alij ſecundum Iuſtitiam reſpondere. Statuimus, & firmiter ordinamus quod quilibet Iadrenſis vbicunq; fuerit extra diſtrictum Iadræ citetur per vnum preceptum tantum, & ſiue per literas domini Comitis, & eius Curiæ, ſiue per Miniſtralem Curiæ fuerit citatus, teneatur perſonaliter, vel per legitimum reſponſorem comparere in termino asſignato reſponſurus de iure petenti.

Quod

Quod de citatione queſtionis per maiorem Curiam terminandæ ſcribatur miniſtralis relatio. Cap. XIIII.

Cum aliquis Plazarius, ſeu Miniſtralis citat aliquem, ſeu facit aliquod preceptum alicui pro quacunq; cauſa, aut ſuper quacunq; queſtione quæ debeat coram maiori Curia ventilari, Volumus quod facta citatio, ſeu preceptum debeat reduci in ſcriptis, quod ſi obmiſſum fuerit illa talis citatio, ſeu preceptum nullam obtineat firmitatem, ſed irrita ſit ipſo iure.

Qualiter conceditur publicorũ malefactorũ perſonalis detentio. Cap. XV.

Latro publicus, Robator ſtratæ, piratæ, & quilibet malefactor quos leges precipiunt furchis apendi poſſint auctoritate huius ſtatuti capi perſonaliter à quocunq;, & in manibus Iadrenſis Curiæ aſſignari, & talis perſonalis detentio tanquàm legitima citatio vulgariter approbetur.

De fugitiui furtiue debitoris captione. Cap. XVI.

Si aliquis foreſis fuerit obligatus alicui Iadertino deinde termino veniẽte, de Iadra furtiue recedat, & poſtmodum repertus fuerit in Iadra, vel eius diſtrictu poterit ſecure capi per creditorem, & conduci coram domino Comite, & Curia, qui pro tempore fuerit abſq; aliquo Riuario, vel Tribuno, niſi ipſe debitor fugitiuus inuentus fuerit in ciuitate, vel Comitatu Iadræ tribus diebus proximioribus ante feſtum Sancti Griſogoni, & tribus proxime ſequentibus.

Ne Filius pro Patre, vel ècontra, aut Maritus pro Vxore, vel ècontra, aut Mater pro Filio, vel ècontra, conueniatur, & quando, & quomodo alter pro altero poſſit conueniri, & ad ſolutionem vrgeri, quando Filius emancipatus, vel habitans extra domum patris poteſt conueniri propter debita paterna, & quando non poteſt. Cap. XVII.

Cum aliquis habens filium emancipatum, reperiatur ſe, & ſuos heredes alicui obligaſſe, Volumus quod pro debitis per Patrem contractis ante emãcipationem, in tantum emancipatus Filius teneatur ſi Pater non eſt ſoluendo in quantum de bonis patris, ſiue ante emancipationem, ſiue poſt, ſiue in ipſa emancipatione ad ipſum filium peruenit, Verum pro debitis cõtractis per partem poſt emancipationem Filij nullatenus emancipatus Filius teneatur, nec ipſius bona, fuit aliquatenus obligata, quod dictum eſt de Filio emancipato, Item per omnia intelligatur eſſe ſtatutum de Filio extra domum patris manente vxorato, vel non.

D

Quod ille qui comodauit rem alicui non poteſt illam petere niſi ab illo cui comodauit,& non ab alio. Cap. XVIII.

Volentes ex alterius obligatione, ſeu contractu neminem obligari, ſeu poſſe etiam conueniri. Statuimus, vt quicunq; equum ſuum alicui acomodauerit,ſeu aliam quācunq; rem, ſi ipſa res comodata ad alterum peruenerit quoquo modo,Nolumus quod ille comodator,ſeu qui rem acomodauit rem ab alio poſſit petere comodatam, niſi ab illo, & ſuper illius bonis, cui res ipſa fuerit acomodata.

Quando,& qualiter aliquis Ciuis poteſt,& debet contra forenſem etiam non obligatum proſequi ius ſuum, ſeu qualiter repreſaliæ conceduntur ciuibus Iadratinis. Cap. XIX.

Plenitudo iuris,ac rationis exigit,ne quiſquam diſpendium paciatur,vnde videtur premium ineruiſſe, & ideo cum aliquis Iadratinus coram domino Comite,& eius Curia conqueritur de aliquo forinſeco, ac contra ipſum oſtendat ſe aliquod ius habere, Volumus quod dominus Comes cum Curia ſua ſi queſtio eſt à quinquaginta libris ſupra aſcendendo mittat nuncium ſuum,ſeu ambaxatorem ſuum expenſis petentis ad ciuitatem, vel ad Comitem,ſeu Rectores illius ciuitatis, vnde ille forinſecus dicitur originē habuiſſe, ſeu in qua ſuam facit continue manſionem per quem Nuncium. Querelæ,ſeu queſtionis origo,& cauſa amicabiliter inſinuetur,& etiam comendetur,qui Rectores alienigenæ ciuitatis ſi rationem plenam de conciue ſuo non fecerint Iadratino.Tunc dominus Comes,cum ſua Curia det,& dare teneatur,repreſaleas, ſeu pignera ciui ſuo Iadratino cōtra illum forenſem, & contra quecunq; alium de ciuitate, vel loco forinſeci antedicti auctoritate maioris Conſilij Iadratini, demū ſi aliqua pignera poſtea manualiter capi poſſunt,ſiue de bonis illius forinſeci,ſiue de bonis alterius perſonæ ciuitatis eiuſdem ponantur ipſa pignera in manibus, & cuſtodia Camariorum, ſeu Procuratorum Comunis Iadræ,poſt que nuncius mittatur expenſis petentis cum ſupradicto proceſſu ad Comitem,ſeu Rectorem forinſeci antedicti, & notificetur eiſdem, ac rogentur, vt ſuo conciui Iadrenſi faciant iuſtitiæ complementum propter bonum pacis,& vt omnis diſceſſionis materia inter eaſdem ciuitates radicitus euelletur, & ſi eidem Ciui Iadratino fecerint iuſtitiæ complementum reſtituantur pignera, ſic ablata atq; poſita in guardia,ſeu cuſtodia antedicta, alioquin ſi predicti Comites, & Rectores non curarent predicta exequi que petuntur compareat Iadratinus, coram domino Comite, & Curia Iadrenſi de quorum mandato iurabit dicere veritatem,contra forinſecum antedictum quo iuramento preſtito,vt eſt dictum dominus Comes, & curia mandabit ſatisfieri Iadratino de omnibus pigneribus antedictis, vel ſi ipſa pignera non ſufficerent de alijs

bonis illorum de ciuitate forinſeci antedicti vſque ad ſatisfactionem eius quòd debetur, ac damni, & intereſſe plenariam, & condignam, verum ſi quæſtio fuerit à quinquaginta libris infra diſcendendo dominus Comes, & curia non mittat Nuncium ſeu Ambaxatorem ad Rectorem ciuitatis, vnde fuerit forinſecus antedictus ſecũdũ ſufficiat ipſos preconẽ communis cum ſuis litteris deſtinaſſe expenſis petentis, quæ littere debeant continere ea omnia quæ Ambaxator ſeu Nuncius pro queſtione maioris ſumme debebat dicere ſeu proponere oraculo viuæ vocis.

Quòd ex contractu filij emancipati vel habitantis extra domum Paternam vel Maternam, pater vel mater non conueniatur niſi in certis caſibus. Cap. XX.

Si filii vel filiæ à Patre fuerint emancipati vel emancipatæ ita quòd de ipſa emancipatione conſtet per quaternum Communis poſitum apud Procuratores Communis Iadræ, aut mortuo Patre per matrem viuẽtem, vel etiam patrem ſuperſtitem poſiti fuerint extra maternam familiam, vel in alia domo ſeparata à ſua moretur filius cum vxore. Tunc huiuſmodi filij poſſint contrahere, & ſe obligare, & pro huiuſmodi obligationibus poterunt conueniri, & bona ipſorum filiorum tantummodo ſint aſtricta, & non paterna vel materna, niſi forte Pater viuens vel mater, mortuo Patre celebrate obligatio ni per filium præbuerit licentiam, & conſenſum, vel niſi huiuſmodi filios cõſtituerit, & eſſe voluerint mercatores, ita quòd de hoc conſtet per quaternum poſitum apud procuratores Communis Iadræ. Tunc enim huiuſmodi filij poterunt tanquam homines ſui iuris ſe obligare diſtrahere, & contraherecum quibuſcumque perſonis, & deinceps poterunt conueniri, & bona ipſorum filiorum erunt perpetuo obligata, pro quibuſcunque contractibus. Quos ipſi filij fecerint, item poterit conueniri Pater & bona paterna. Quando Pater ipſos conſtituit mercatores, vel eidem filio præſtitit obligandi licentiam, & conſenſum erunt etiam obligata quo ad illud genus mercationis tantum, & pro illa quantitate tantum pro qua ipſos filios voluit eſſe mercatores, & pro illo contractu in quo conſenſit. Item poterit conueniri mater, & bona materna quando mortuo Patre, ipſa Mater, modo prædicto eoſdem filios conſtituit mercatores, vel dedit licentiam ſe obligandi, erunt etiam obligata pro illa tantũmodo quantitate pro qua & in qua ipſos filios voluit eſſe mercatores, vel pro illo contractu tantum, in quo ipſa mater exhibuit licentiam, & conſenſum.

Quòd Mater Pupillorum, vel Nouerca non poſſit inquietari pro filijs vel filiaſtris exiſtentibus in pupillari ætate. Cap. XXI.

Si aliquis habens vxorem, & filios vel filias, Pupillaris ætatis ab inteſtato

deceſſerit, relicta vxore vidua ſuper bonis ſuis, & alter dixerit aliquid ſibi deberi a condam patre ipſorum pupillorum, ſeu aliquid mobile vel immobile ab ipſis pupillis petere voluerit dicimus quod mater pupillorum vel Nouerca non posſit inquietari a creditoribus ſupradictis niſi ipſi pupilli vel pupille ſint ætatis legitimæ, & perfectæ.

Quòd vxor pro marito non inquietetur. Cap. XXII.

Prohibemus ne ob maritorum contractus culpam ſeu delictum vxores inquietentur.

Quòd filius in poteſtate exiſtens pro Patre non inquietetur niſi in caſu. Cap. XXIII.

Nomine patris ſuperſtitis inquietari filium familiæ nullatenus permittemus niſi quatenus de ipſius patris ſubſtantia ad ipſum filium repertum fuerit deueniſſe.

Quòd ex perſona vel delicto vxoris maritus non conueniatur. Cap. XXIIII.

Ex perſona delicto vel contractu vxoris, maritus nullatenus moleſtetur.

Quòd ex perſona Domini vel patroni ſeruus non inquietetur vel è contra. Cap. XXV.

Pro Domini vel Patroni contractu aut delicto liberti vel ſerui conueniri non posſint, & ècontra.

Per quas perſonas agere conueniri, ſeu ad placitum trahi poſſunt minores xx. annis furioſi, & mentecapti. Cap. XXVI.

Vigilanti animo affectantes minores, & ipſorum bona fideliter gubernari: & in placitis defenſari prouidimus ſtatuendum. Quòd ſi aliqui eſſent infantes carentes Patre, & legitimo defenſore volumus quòd aliqui de propinquis eorum adeant, & adire valeant, & debeant Dominum Comitem, & eius Curiam una cum ipſis filijs ſi ſunt abiles ad eundum, & ab ipſis poſtulent dari tutores prædictis infantibus, & pupillis quorum propinquorum petitionem Domini Comes, & Curia in continenti admittere teneatur infra tertiam diē fœliciter expedire, quorum tutorum officium præcipuum erit perſonas ipſorum pupillorum, & bona fideliter regere, ac pro ipſis infantibus, & pupillis in iudicijs ſeu placitis agere, & plenarie, reſpondere Iſtorum autem tutorum officium durabit quouſque filiæ fœminæ habuerint

duodecim annos,& filij maſculi habuerint quatuordecim annos poſtea autem ſi ipſi tutores de aminiſtratis reddiderint rationem, & reliqua preſtiterint,ſint pœnitus abſoluti, & mãdamus quod auctoritate Curiæ abſoluãtur.

Per quas perſonas maſculus maior xiiij.annis,& fœmina maior xij.annis,minores tamen xx.annis debeant ſe tueri, & in iudicijs placitare. Cap. XXVII.

Si aliqua fuerit perſona habens cũ ſit fœminini ſexus duodecim annos, aut cum ſit maſculini ſexus habens quatuordecim annos, nec habeant aliquem curatorem ſeu legitimum defenſorem,volumus quod ipſi filij & filiæ debeant adire Dominum Comitem,& eius Curiam,ac poſtulare ab eis dari ſibi Curatores ſeu aliquos legitimos defenſores, & tunc Dominus Comes, & Curia teneãtur eiſdem dare infra tertiam diem in curatores tres de propinquioribus Patris vel Matris defunctorum, iſtorum autem officium erit bona ipſorum minorum fideliter,& more Paterno regere,gubernare,& adminiſtrare, & pro ipſis minoribus experiri, & in placitis reſpondere quorũ curatorum officium duret quouſq; ipſi filij, & filiæ compleuerint annos viginti, poſtea vero cum ipſi curatores de adminiſtratis redderint rationem, & asſignauerint, ſeu reſtituerint reliqua quæ haberẽt ſint penitus abſoluti, & volumus quod auctoritate maioris Curiæ abſoluantur.

Per quas perſonas mentecapti debeant ſe tueri. Cap. XXVIII.

Si aliquis fuerit mentecaptus cui de mandato Domini Comitis, & Curiæ bonorum adminiſtratio fuerit interdicta ipſo mentecapto carente patre ſeu legitimo defenſore.Volumus ſi habuerit filios unum vel plures, habẽtes annos viginti vel vltra quod ſit ĩ diſpoſitione & diſpoſitione Domini Comitis,& Curiæ,& eſſe debeat dare eidẽ mentecapto aliquẽ de prediċtis filijs vel ipſos filios in curatores, aut quoſdam de propinquioribus ipſius mẽtecapti infra tertiam diem poſtquam hoc fuerit poſtulatum, quorum officium erit perſonam ipſius mentecapti filios, & bona ſine fraude fideliter gubernare, & bona fide adminiſtrare , ac dare eidem, & familiæ atque vxori victum ac veſtitum ſecundum decentiam ipſorum, & facultatem bonorum ipſius mẽtecapti. Debebunt etiam ipſi curatores.in iudicio ſeu placitis pro ipſo mentecapto agere, & fauorabiliter reſpondere, iſtorum autem officium durabit quouſq; iſte mentecaptus perfectam ſuæ mentis receperit ſanitatem.

Per quas perſonas furioſi debeant gubernari. Cap. XXIX.

Cum in ciuitate Iadræ aliquis fuerit furioſus,non habens aliquem legitimũ defenſorẽ,ſi habuerit aliquem aut aliquos filios maiores viginti annis

& propinquos, Volumus quod in diſpoſitione Domini Comitus, & Curiæ ſit dare ſibi in curatores vel filios vel propinquos vel vtroſq;, quorum officiũ erit ipſum furioſum bona eius, & familiam fideliter gubernare, & diſponere, & pro ipſo, & ſua familia in iuditio placitare, & rationabiliter reſpondere, iſtorum autem officium durabit quouſq; ipſe furioſus perfectam ſui furoris receperit ſanitatem.

Quòd fideì comiſſarius generalis vel ſpecialis relictus per teſtatorem vel creatus per Curiam alicui minori xx. annis poteſt agere, & in placitis reſpondere. Cap. XXX.

Cum aliquis Relictus fuerit Comiſſarius aliquarum perſonarum minorum viginti annis in aliqua vltima voluntate vel creatus per Curiam, Volumus quod posſit agere placitare, pro illis quibus eſt Comiſſarius conſtitutus ſaltem ſuper illis, & de illis tantũmodo bonis ad quæ fuerit fidei comiſſarius deputatus.

De Procuratoribus, ſeu per quas perſonas maiores annis xx. poſſunt in placitis intereſſe. Cap. XXXI.

Prouide duximus ſuccurrendum quibuſcunq; perſonis, quæ cum vocantur, ad placitum ſuis negocijs diuerſimodo occupate perſonaliter placitis intereſſe nolunt uel nõ poſſunt. Et ideo uolumus, & permittimus quòd quælibet perſona cuiuſcunq; conditionis uel ſexus exiſtat habeat plenisſimam facultatem faciendi in ſuis placitis, & ad omnes ſuas queſtiones ciuiles, Procuratorem, & quidquid factum fuerit cum ipſo procuratore ualeat, & teneat quemadmodum factum fuiſſet cum Domino queſtionis, dum tamen in carta procurationis ſeu comisſionis contineatur expreſſe quod ipſe procurator habeat mandatum ad agendum, defendendum, & reſpondendum, & etiam ad iurandum de calumnia, & ueritate dicenda in animam illius Domini qui fecit ipſum ſuum procuratorem, etiam habeat mandatum ad faciendum in cauſa quidquid ipſe Dominus poſſet facere, dicere, & placitare ſi preſentialiter placitis intereſſet. Et hoc habeat locum in illis perſonis, quibus permiſſum eſt per ſtatutum Comunis Iadræ quod posſint facere Procuratorem in cauſis ſuis queſtionibus ſeu placitis.

De ſpecificatione Caſuum in quibus mandatum exigitur ſpeciale. Cap. XXXII.

Licet Procurator ſit legitime ordinatus ad agendum, & defendendum ac generaliter ad omnia quæ occurrunt in cauſis facienda, etiam ſi exigant ſpeciale mandatum. Tamen ex ui huiuſmodi clauſulæ generalis, talis procu

rator admitti non debet ad aliquem articulum ſeu caſum in quo a iure mã datum exigitur ſpeciale niſi caſus ille ſpecialiter exprimatur. Verum quia poſſent aliqui probabiliter dubitare qui ſint illi caſus in quibus mandatum exigitur ſpeciale, Putauimus fore ſalubre ipſos caſus per ordinẽ enarrare.

Primus caſus eſt ſi eccleſia vel minor leſus in contractu vel per ſententiã alicuius iudicis petere voluerit in integrum reſtitutionem contra ipſam ſententiam vel contractum. Secundus caſus eſt ſi aliquis voluerit accuſare de ſuſpecto tutorem, aut curatorem, aut comiſſarium generalem, ſeu ſpecialem propter dolum aut culpam in eorum adminiſtratione comiſſum ſeu comiſſam. Tertius caſus eſt quando duo facti ſunt Procuratores inſolidũ vnius Domini, tunc enim vnus non poteſt agere contra alium, nec ab ipſo aliquid exigere ſine mandato ipſius Domini ſpeciali. Quartus caſus eſt quando aliquis uellet petere filium alterius nomine illius qui creditur eſſe pater, non illum enim poteſt petere nec poſtulare ipſum filium exhiberi ſeu deduci in iudicium ſine ſpeciali mandato Patris. Quintus caſus eſt, ſi aliquis Procurator vellet tranſigere uel pactum facere ſuper re Domini, certo hoc non poteſt ſine ſpeciali mandato. Sextus caſus eſt ſi aliquis procurator uellet dare ſeu recipere iuramentum ſuper re Domini hoc certe non poteſt ſine ſpeciali Domini mandato. Septimus caſus eſt ſi aliquis procurator vellet impetrare litteras ſeu reſcriptum à Curia Romana aut ab Imperatore nomine Domini ſui, certe hoc non poteſt ſine ſpeciali mãdato Domini. Octauus caſus eſt ſi aliquis procurator vellet accipere vxorem uel matrimonium contrahere nomine Domini ſui, cuius eſt, procurator certe hoc nõ poteſt ſine ſpeciali mãdato Domini. Nouus caſus eſt ſi aliquis uellet petere vxorem alterius vt veniat ad Domum mariti, certe hoc non poteſt facere ſine ſpeciali mandato mariti. Decimus caſus eſt in voto tranſmarino. Vndecimus caſus eſt in exemplificatione inſtrumentorum conſumptorum. Duodecimus caſus eſt in ſponſalibus contrahendis. Tertiusdecimus caſus eſt in compromiſſo. Quartusdecimus caſus eſt, in petenda abſolutione ab excommunicatione, quam aliqua perſona incurreret. Quintusdecimus caſus eſt in perpetratione talis delicti ex quo quis incurrit excomunicationem, nam ſi aliquis procurator nomine Domini verberaret clericum, non propter hoc Dominus eſt excomunicatus, niſi ipſe Dominus vel procuratorem conſtituiſſet ſpecialiter ad clericum verberandum, vel poſtquam fuerit verberatus ipſe clericus nomine Domini, Dominus ipſe ratum habuiſſet. Sextusdecimus caſus eſt in pace facienda, nam non poteſt procurator facere pacem ſine mandato Domini ſpeciali. Septimusdecimus caſus eſt cum iudex finito officio ſuo conuenitur ſuper ijs quæ fecit in officio nam non poteſt reſpondere per procuratorem niſi procurator adhoc mandatum habeat ſpeciale. Octauusdecimus caſus eſt cũ aliquis impetrat pro aliquo litteras ſuper diſpenſatione natalium ſeu ſuper legitimatione illius qui non fuerat de legitimo matrimonio procrea-

tus, nam non poteſt hoc facere procurator niſi ſuper premiſsis mandatum habeat ſpeciale. Nonusdecimus caſus eſt in iuramento calumniæ preſtando in qualibet lite, in iis etenim premiſsis caſibus, & quolibet predictorum mandatum ſpeciale interuenire debere rationabiliter duximus ſtatuendũ.

Quòd filiusfamilias poteſt eſſe procurator etiam abſque conſenſum patris. Cap. XXXIII.

Ne dum ad negocia, ſed etiam ad iudicia filiusfamilias poteſt fieri procurator abſque patris conſenſu.

Quòd Procurator ad placita debet habere xx annos, & non pauciores. Cap. XXXIIII.

Volumus quòd licet quis poſt decimum ſeptimum annum procurator ad negocia licite deputetur, ad iudicia tamẽ, ſeu placita niſi maior xx. ann. habuerit quiſquam deputari nequibit.

Quòd Procurator qui habet mandatum ſpeciale ad aliquod articulum in quo comisſio exigitur ſpecialis adiecta generali clauſula posſit ad caſus ſpeciales, & non expreſſos in comisſione extendere comisſionem ſuam. Cap. XXXV.

Si aliquis ſeu aliqua de articulis ſeu caſibus mandatum exigentibus ſpeciale in inſtrumento procurationis ſeu comisſionis ſpecificati fuiſſent adiecta ibidem clauſula generali tũc talis procurator admittetur ad cæteros caſus ſpeciales etiam non expreſſos quia ſi in uno vel quibuſdam caſibus Dominus talem procuratorem idoneum reputauit, eodem modo, & iure debet in omnibus alijs caſibus non expresſis ex virtute clauſulæ generalis idoneus reputari.

Quòd Dominus non poteſt reuocare procuratorem poſtquam incepit placitum niſi in certis caſibus. Cap. XXXVI.

Quamuis procurator posſit etiam ſine cauſa ante inceptum placitum libere per Dominum reuocari, poſtea tamen ipſo procuratore nolente reuocari nequibit niſi forte contingat ipſum procuratorem fieri Domino inimicum vel ſuſpectum aut aduerſario Domini cuius eſt procurator affinitate coniungi uel eius heredem effici ſeu ingredi religionem aut in lõginquum peregrinari vel infirmitate grauari longeua, aut vinculis ſeu carceribus retineri, aut alia rationabilis cauſa ſubſit propter quam ſit merito reuocandus, verum quanquam poſt ceptum placitum procurator à Domino reuocari

tari non poſſit niſi in caſibus premiſſis, tamen Dominus ad eſſe cauſæ ſuæ cum eodem ſuo procuratore minime prohibetur.

Quod tractando placitum ſuum videtur procuratorem tacite reuocaſſe. Cap. XXXVII.

Si conſtitutus fuerit aliquis ſpecialiter procurator ad cauſam vnam, & cauſa ſue placito incepto Dominus cauſam ipſam tractault, nō vt aſſiſteret cauſe, ſed vt ipſam cauſam ſolicito pertractaret reuocaſſe procuratorem conſtitutum tacite preſumetur niſi proteſtetur, vel liquido appareat de contraria Domini voluntate, verum ſi aliquis immineat articulus in quo Dominus ſciret melius cauſe veritatem, aut ſi ipſe procurator infirmus vel forſitā ſe abſentet, ſeu quidquam aliud accidat propter quod ipſe cauſe preſentia Domini fuerit oportuna, tunc procurator ipſe reuocari nullatenus preſumetur.

Quod inſtrumento comiſſionis facto alibi quam in Ciuitate Iadræ, nulla fides habeatur niſi cum litteris teſtimonialibus Rectoris loci, in quo factum fuerit inſtrumentum. Cap. XXXVIII.

Quia inſtrumēta quæ de longinquis partibus producuntur ſolent vt plurimum ad non modicam ſuſpitionis cauſam animos legentium promouere. Volumus, & huius ſtatuti auctoritate rationabiliter prohibemus, ne fides aliqua habeatur alicui inſtrumento procurationis facto alibi quam in ciuitate Iadræ, ſeu in eius diſtrictu, niſi forte ille qui producit tale inſtrumentum factum alibi producat ante Curiam coram qua vult vti inſtrumento procurationis etiam litteras teſtimoniales Rectoris illius ciuitatis vel loci in quo, ſeu qua, factum eſſe dicitur inſtrumentum, quibus litteris contineatur expreſſe quòd tale inſtrumentum factum eſt per hominem bonæ famæ, & tabelionem verum, & notorium.

Ne Ciuis poſſit eſſe procurator forenſis contra Ciuem. Cap. XXXIX.

Litigi , & altercationes inteſtinas volentes inter conciues noſtros modis omnibus euitare, ſatis ſalubriter prouidimus ſtatuendum, quòd aliquis ciuis Iadrenſis non poſſit eſſe procurator alicuius perſonæ forinſecæ contra aliquem ciuem Iadrenſem, verum ſi aliquis ciuis Iadrenſis creatus fuerit procurator contra alium ciuem Iadrenſem ab aliquo forenſi, talis procuratio nullius ſit valoris, nec ipſi procurator ius, ſeu mandatum habeat placitandi, nec aliqua curia talem procuratorem recipere audeat, nec attentet, ita tamen quòd ciues Venetiarum, in caſu huius ſtatuti nullatenus intelligantur eſſe forenſes.

Quod ille qui paratus eſt ad viagium teneatur in certo caſu procuratorem relinquere. Cap. XL.

Si ante curiam aliquam ciuitatis Iadræ aliquis paratus ad viagium conuocetur ſuper debito ſine carta, aut etiam ſuper debito carte termino, cartule iam tranſacto, Volumus quod preſtita ſecuritate de parendo iuri idonea procuratorem legitimum relinquere teneatur, ſi curie corã, qua fuerit euocatus uidebitur expedire, deinde recedat, uerum ſi nondum terminus cartule ſit elapſus, Procurator ab ipſo reo citato relictus ſubire iudicium teneatur, ſi ipſe reus non uenerit de uiagio uſq; ad terminum eidem per curiam aſsignatum, & quidquid factum fuerit cum ipſo procuratore plenariæ ualet, & tenet, ſicut ipſe reus in uiagio conſtitutus preſentialiter intereſſet.

Quod omnis Comiſſarius poſsit per procuratorem reſpondere, & placitis intereſſe. Cap. XLI.

Cum aliquis uel aliqua relicti fuerint Comiſſarij in aliqua ultima uoluntate, uel dati ſeu creati per aliquam Curiam, Volumus quod poſsint facere procuratorem in placitis, & per ipſum reſpondere, ac petere quod debetur illis quibus ſunt Comiſſarij conſtituti.

De preſentatione debitoris ſeu rei citati ſuper debito ſine carta, & quando, & qualiter procedatur ad tenutam dandam contra eum ſi non venerit ad placitum in termino aſsignato. Titulus iſte continet ix. capitula. Cap. XLII.

Cum aliqua perſona legitime, & ſecundum formam ſtatutorum Comunis Iadræ uocata ad placitum in termino ſibi aſsignato ad Curiam venerit, & petantur ab ea viginti ſolidi denariorum Venetorum paruorum vel pauciores, teneatur ſtatim ſine dilatione aliqua Aduocati in iudicio reſpondere actori; & ſi non venerit tunc Curia procedat ad ſententiam ſecundum iuramentum petentis præſtitum ſuper ſententia predicta.

Qualiter procedatur contra debitorem quando petitur minor ſumma ſol. C. paruorum deſcendendo uſq; ad uiginti ſol. paruorum. Cap. XLIII.

Si petatur ab aliquo ſine carta maior ſumma ſolidorũ viginti paruorũ, poterit reus legitime citatus ſi venerit ad Curiam petere inducias trium dierum pro aduocato inueniendo, poſtea teneatur in ſingulis terminis an-

te Curiam comparere & reſpõdere de iure, & ſi non comparuerit in aliquo termino, poſtea detur diſtricta contra eum; verum ſi non venerit ad primã citationem vel ad primum terminum eidem per Curiam aſsignatum, ſeu non miſerit legitimum reſponſalem, qui reſpondat loco ſui, tunc ſi petitio fuerit centum ſolidorum vel minoris quantitatis deſcendendo uſq; ad ſol. Viginti paruorum, ponatur petitor in tenutam ſeu diſtrictam bonorum illius, qui uocatur non venit vſq; ad ſummã quantitatis per actorem petite, & ſic tenuta taliter data conſeruetur, uſque ad octo dies, & demum ſi poſtea non comparuerit ille contra quem data erit tenuta uſque ad octo dies, petitor iuret ante Curiam debet petitam ſummam percipere, & habere, poſtea in acceptam tenutam ſatisfieri debeat actori de dicto debito prout iurauerit cum expenſis legitimis factis pro quæſtione predicta in lite. Si vero ille contra quem data fuerit tenuta comparuerit infra octo dies per ſe vel per legitimum reſponſalem ſuper petitis coram Curia reſponſurus recepta teuuta reſtituatur eidem reſtitutis prius expenſis legitimis factis occaſione ſue contumaciæ, & tunc incontinenti reſpondat ſuper petitis, alioquin tenuta ſibi accepta non reſtituatur quòd ſi poſt reſtitutam tenutam in quolibet termino aſsignato ſibi per Curiam reus per ſe vel legitimum reſponſalem poſtea legitime non comparuerit ante Curiam proceſſurus in cauſa eius abſentia non obſtante procedatur per Curiam in ipſa cauſa quemadmodum ſi preſentẽ fuiſſet, & feratur ſententia, & executioni debitæ demandetur ſecundum formam, ſeu tenorem ſtatutorum Comunis Iadræ.

Qualiter procedatur contra debitorem quando petitur ſine carta maior ſumma ſol. C. paruorum aſcendendo vſque ad decem libras paruorum. Cap. XLIIII.

Aliquis dicit ſine carta deberi ſibi ab altero ex quacunque cauſa à centum ſol. paruorum ſupra vſq; ad decem libras paruorum, Volumus quod reus, de quo aliquis conqueritur citetur legitime ſecundum ſtatuta Comunis Iadræ vt ad petitionem actoris veniat in termino aſsignato ante Curiam reſponſurus de iure, in quo termino ſi nõ comparuerit citatus per ſe vel procuratorem petitor ponatur in diſtrictam, ſeu tenutam bonorum illius debitoris citati à quo petitur dicta quantitas vſque ad ſummã quantitatis petitæ, quæ diſtricta conſeruetur vſque ad quindecim dies, & tunc ſi non venerit ille, qui paſſus eſt diſtrictam, petitor iurare debeat coram Curia quãtitatem petitam ſibi deberi, & eum re uera percipere debere, & tunc Curia faciat eidem petitori integraliter ſatisfieri de quantitate petita cum legitimis expenſis factis in cauſa occaſione predicta. Si autem reus venerit infra predictos quindecim dies coram Curiam reſponſurus ſi incontinenti voluerit in placito reſpondere dicta tenuta reſtituatur, eidem reſtitutis ab eo

prius expenſis factis in cauſa propter ſuam contumaciam, alioquin diſtricta ſeu tenuta accepta ſibi non reſtituatur, quod ſi poſt tenutam reſtitutam Reo in aliquo termino ſibi per Curiam poſtea aſsignato, Reus non comparuerit per ſe vel legitimum reſponſalem coram Curia eius abſentia non obſtante procedatur in cauſa per Curiam, ſicut ſi ipſe reus preſens fuiſſet, & feratur ſententia ſecundum tenorem, & formam ſtatutorum Comunis Iadræ, & executioni debitæ demandetur.

Qualiter procedatur contra debitorem quando petitur ſine carta ab ipſo maior ſumma decem librarum, aſcendendo vſque ad viginti libras paruorum. Cap. XLV.

Sine carta aliquis tenetur alicui ad decem libras denariorum Venetorum paruorum vel ab inde ſupra uſque ad uiginti libras paruorum; precipimus quod reus de quo aliquis conqueritur citetur ſecundum formam ſtatutorum Comunis Iadræ vt ueniat ad petitionem actoris ante Curiam reſponſurus de iure in termino conſtituto, in quo termino ſi non comparuerit legitime reſponſurus, ponatur petitor per Curiam in tenutam, & poſſeſſionem bonorum illius à quo petitur vſque ad ſummã quantitatis petite, & tenuta per vnum menſem detenta ſi non uenerit reus iuret petitor ſe debere habere de iure, & percipere in veritate à citato quantitatem petitam. Et tunc ſatisfieri debeat actori ſuper data tenuta integraliter, & in totum De quantitate petita prout ipſe iurauerit cum legitimis expenſis factis in cauſa. Si vero infra dictũ tempus vnius menſis cõparuerit ante curiam reſponſurus de iure accepta tenuta reſtituatur eidem, ſi uoluerit ſtatim in placito reſpondere, & reipſa reſponderit, ac expenſas factas in cauſa propter acceptam tenutam ante omnia reſtituerit, quod ſi poſt recuperatam tenutam in aliquo termino ſibi aſsignato, reus per ſe, uel per procuratorẽ poſtea non cõparuerit proceſſurus in cauſa, eius abſentia, nõ obſtãte procedatur in cauſa queadmodũ ſi preſens fuiſſet, & ferratur ſẽtẽtia, & executioni mãdetur.

Qualiter procedatur contra debitorem quando petitur ab ipſo ſine carta maior ſumma viginti librarum aſcendendo vſq; ad quinquaginta libras paruorum. Cap. XLVI.

Cum viginti libræ paruorum petuntur ab aliquo vel abinde ſupra vſque ad quinquaginta libras paruorum, Volumus quod reus citetur legitime vt in ſuperioribus capitulis dictum eſt & terminus aſſignetur eidẽ in quo debeat ante Curiam reſpondere, in quo termino ſi non comparuerit legitime ponatur petitor per Curiam in tenutam, & corporalem poſſeſsionem bonorum illius à quo petitur uſque ad ſummã quantitatis petitæ, qua tenuta per tres menſes detenta reo non veniente iuret petitor ſe debere habere de iu-

re, & percipere in veritate à citato quantitatem petitam, & tunc ſatisfieri debeat actori ſuper bonis datis in tenutā integraliter, & in totum de quan titate petita prout ipſe iurauerit, cum legitimis expenſis factis in cauſa. Si vero infra dictum tempus trium menſium comparuerit ante Curiam reſpō ſurus de iure accepta tenuta reſtituatur eidem ſi voluerit ſtatim in placito reſpondere, & expenſas factas in cauſa propter acceptam tenutam ante omnia reſtituerit, & ſi res quæ data fuerit in tenutam talis fuerit ex qua ſui natura fructus aliqui percipi potuerunt preter expenſas quas tenetur reſtituere ut dictum eſt, petitor lucri faciat, & habeat ante partem omnes fructus qui percipi potuerūt ex re data in tenuta propter rei conuenti contumaciā contemptum quod ſi poſt reſtitutam ei tenuta in aliquo termino ſibi aſſigato reus per ſe uel legitimum reſponſalem non comparuerit coram Curiam eius abſentia non obſtāte procedatur in cauſa quemadmodum ſi preſens fuiſſet, & feratur ſententia, & executioni mandetur de iure ſecundum formam ſtatutorum Comunis Iadræ.

Qualiter procedatur contra Reum cum petitur ab ipſo ſine carta maior ſumma librarum L. aſcendendo vſque ad quantamcunque quantitatem. Cap. XLVII.

Aliqua perſona coram Iadrenſi Curia ſine carta poſtulat inquirit quinquaginta libras Denariorum . . . . . . abinde ſupra aſcendendo vſque ad quantamcunque quantitatem, Volumus quod reus citetur legitime, & terminus ſibi aſſignetur modo, & forma in ſuperioribus capitulis declaratis, in quo termino ſi non comparuerit per ſe vel legitimum reſponſalem ponatur actor per Curiam in tenutam ei poſſeſſionem corporalem bonorum illius à quo petitur vſq; ad ſummā quantitatis petitæ qua tenuta per ſex mēſes detenta reo non veniente iuret actor ſi habere debere de iure, & percipere re vera a citato quantitatem petitam, & ſecundum quod iurauerit perſoluatur, eidem cum expenſis factis in cauſa. Si vero infra predictum tempus ſex menſium comparuerit ante Curiam reſponſurus de iure; accepta tenuta reſtituatur eidem ſi incontinenti reſpōderit coram Curia actori, & expenſas factas in cauſa propter tenutā acceptam reſtituerit, & ſi quidem res quæ data fuerit in tenutam talis fuerit ex ſui natura, ex qua fructus aliqui percipi potuerunt preter expenſas factas quas tenetur reſtituere petitor lucri faciat, & habeat ante partem omnes fructus qui percipi potuerūt, & percepti fuerunt ex re data in tenutam propter rei conuenti contumanciam & contemptum. Quod ſi poſt tenutam reſtituta reo in aliquo termino ſibi per Curiam aſſignato reus non comparuerit per ſe uel legitimum reſponſalem coram Curia eius abſentia non obſtante procedatur in cauſa per Curiam ſicut ipſe reus preſentē fuiſſet, & feratur ſententia, & executioni mandetur de iure ſecundum formam ſtatutorum Comunis Iadræ.

Quod petitor ponatur in diſtrictam bonorum debitoris quæ elegerit quibuſdam exceptis. Cap. XLVIII.

Cum petitor ponendus eſt in tenutam rerum debitoris citati propter ipſius citati non comparentis contumaciam, & contemptum. Volumus quod petitor ipſe ponatur in poſſesſionem illarum rerum ſui debitoris, quas ipſe petitor elegerit, dum tamen non eligat vt ponatur in diſtrictam armorum, lectorum, ſupralectorum, veſtimentorum debitoris citati uel ſuæ familiæ domorum ſeu domus, in quibus ipſe debitor permanet cum familia ſua, & habitat, quod locum habere volumus, & mandamus ſi ipſe debitor habuerit in bonis res alias quàm predictas.

Quod res in quibus debet poni in diſtrictam petitor debent valere tertium plus. Cap. XLIX.

Precipimus, & auctoritate huius ſtatuti breuiter ordinamus quòd quando petitor ponendus eſt in diſtrictam bonorum rei citati propter eius contumaciam, non ſolum ponatur, & poni debeat in re ſeu rebus quæ tantum valeat, ſeu valerēt, quantum aſcendit quantitas poſita, ſed etiam quæ aſcendant tertium plus in valore.

Quod poſt ſonum Campanæ ad Tertiam apud Eccleſiam Sancti Petri debeat concedi diſtricta. Cap. L.

Quia poſſent aliqui probabiliter heſitare quando ſeu qua hora diei tenuta ſeu diſtricta dari ſeu concedi debeat debitori in omni queſtione ſeu caſu vbi fuerit per Curiam concedenda, putamus fore ſalubre hanc dubitationem preſentis ſtatuti auxilio ſeu preſidio lucidare. Volumus enim, precipimus, & mandemus, quòd omnis tenuta ſeu diſtricta laſſari ſeu concedi debeat per Curiam poſt ſonum Campanæ Eccleſiæ Sancti Petri de Platea, quæ pro Tertia pulſatur, de mandato, & maioris Curiæ voluntate.

De preſentatione ſeu comparitione rei citati in placito ſuper debito inſtrumenti, & quando, & qualiter procedatur ad dandum tenutam ſeu diſtrictam contra ipſum ſi non venerit ad placitum in termino aſsignato. Cap. LI.

Quia ea quæ caucius, & maturius aguntur feliciori debent exitu terminari. Ideo ſtatuimus quòd ſuper exigendis debitis cuiuſcunq; generis quæ per inſtrumenta publica petuntur talis forma ſeruetur in poſterum, & cautella videlicet quod petitor faciat pro miniſtralem Curiæ citari debito

rem legitime vt vltima die citationis compareat ante Curiam per ſe vel legitimum procuratorem petitori de iure reſponſurus ſuper debito carte au tentice vel cuiuſcunque publici inſtrumenti Qui debitor ſic vocatus, ſi non comparuerit in termino ante Curiam ſuper inſtrumentis publicis de iuſtitia reſponſurus, tunc petitor ponatur in tenutam, & corporalem poſſesſionem bonorum citati non comparentis vſque ad quantitatem expreſſam in carta, & pœnam quæ debetur, & tertium plus ſuper quibus citatus eſt, quæ tenuta conſeruetur vſque ad triginta dies, infra quos triginta dies ſi ille contra quem data fuerit talis tenuta ſeu diſtricta non comparuerit ante Curiam petitori de iure reſponſurus, poſtea elapſis triginta diebus, petitor de voluntate, & precepto Curiæ iuret, & ſuo ſacramento affirmet cartam ipſam veram eſſe, & non fictitiam, & ſibi re vera deberi quòd in ipſa, & prout in ipſa carta per ordinem continetur, & Curia elapſis ipſis triginta diebus ſacramentum teneatur, & dare debeat petitori, demum tali, & taliter preſtito iuramento fieri debeat de mandato Curiæ plena ſolutio petitori de toto debito in carta comprehenſo prout iuratum erit, & de quantitate iurata ſuper bonis datis in tenutam, & alijs bonis debitoris cum legitimis expenſis. Et inſuper integraliter compellatur etiam ad ſolutionem totalis penæ in ipſo inſtrumento appoſitæ, & conuentæ quæ poteſt eſſe vſque ad quartam partem debiti in inſtrumento contenti, & nõ maior. Verum ſi ille reus contra quem data fuerit tenuta, ſeu diſtricta modo prædicto infra triginta dierum ſpacium venerit ante Curiam petitori de iure reſpõſurus ſuper carta accepta tenuta reſtituatur eidem ſi uoluerit ſtatim in placito reſpondere, & expẽſas factas in cauſa propter acceptam tenutam reſtituerit, & ſi res quæ data fuerit in tenutã talis fuerit, ex qua ſui natura fructus aliqui percipi potuerunt, preter expenſas quas tenetur reſtituere vt eſt dictum. Petitor lucri faciat, & habeat ante partem omnes fructus qui percipi potuerunt ex re data in tenuram propter rei conuenti cõtumaciam, & contemptum; quòd ſi poſt reſtitutam ei tenutam in aliquo termino ſibi asſignato, reus per ſe uel legitimum reſponſalem non comparuerit coram Curia eius abſentia non obſtante procedatur in cauſa quemadmodum ſi preſens fuiſſet, & feratur ſententia, & executioni mandetur ſecundum ſtatuta Comunis Iadræ, ſed ſi ad primam citationem debitor cum carta comparuerit procedatur in cauſa ſecundum formam ſtatutorum Comunis Iadræ.

Qualiter procedi debeat contra Iadrenſem habitatorem alienigenæ Ciuitatis. Cap. LII.

Sanè quia parum prodeſſet humilibus humilitas ſi contumacia contumacibus nõ obeſſet, volentes vt ciues noſtri teneantur alijs de iure in placito reſpondere. Statuimus, & firmiter ordinamus quòd quilibet Iadrenſis vbicunque fuerit extra diſtrictam Iadræ, poſtquam fuerit legitime citatus

ſtatuimus,& fauorabiliter ordinamus, quod quando aliquis petere voluerit aliquam poſſesſionem paruam,vel magnam, per miniſtralem Curiæ illū à quo poſſesſionem petere intendit, legitime citari faciat, & ad placitum euocari, ut vltima die citationis compareat ante Curiam, per ſe vel legitimum reſponſalem petitori reſponſurus de iure ſuper poſſesſione tali quam tenet,& posſidet, qui reus,ſeu poſſeſſor ſic citatus ſi non comparuerit ante Curiam in termino ſibi àsſignato, vel ſaltem non miſerit legitimum defenſorem, ponatur petitor in tenutam ſeu diſtrictam illius poſſesſionis, quam petierit,& ipſam poſſesſionem ipſe actor libere posſit tenere, & ea frui vſq; ad annum, & diem,reo non veniente. Et ſi infra prædictum tempus reus,cōtra quē data fuerit tenuta,venerit ante Curiā petitori de iure reſponſurus, citato prius petitore,accepta tenuta reſtituatur,eidē reo ſi voluerit ſtatim in placito reſpondere,& expenſas factas in cauſa propter acceptā tenutā reſtituerit petitori,& ſi res quæ data fuerit in tenutā talis fuerit ex qua ſui natura fructus aliqui maturi ſeu fictus domorū vel poſſesſionū percipi potuerūt preter expēſas quas tenetur reſtituere vt eſt dictū,petitor lucri faciat,& habeat ante partem omnes fructus maturos poſſesſionis,ſeu terræ,vel vineæ in qua poſitus fuerit in diſtrictam, & qui percipi potuerunt, & debuerunt ex re data in tenutam,& fictus etiam domorum pro rata temporis quo fuit in ipſa diſtricta propter rei conuenti contumatiam,& contemptum. Quod ſi poſt reſtitutam ei tenutam in aliquo termino ſibi asſignato reus per ſe, vel legitimum reſponſalem non comparuerit ante Curiam eius abſentia nō obſtante procedatur in cauſa, quemadmodum ſi preſens fuiſſet, & feratur ſententia, & executioni mandetur ſecundum tenorem ſtatutorum Communis Iadræ; ſi verò reus qui paſſus eſt tenutam ſiue diſtrictam nōn uenerit infra annum, & diem, ſed paſſus eſt labi, & tranſire prædictum tempus tunc petitore repreſentet ſe,coram Curia,& de mandato domini Comitis, & Curiæ iuret ad Sancta Dei Euangelia,tactis ſcripturis, petitionem ſuam iuſtam eſſe,& ſe credere poſſesſionē ab ipſo petitam ad ſe pertinere de iure, & poſtea Curia teneatur in hoc caſu iuramentum dare petitori incontinenti,quo ſacramento preſtito ipſa Curia adiudicet petitori poſſesſionem petitam,& poſtea petitor habeat ſibi in poſterum talem poſſesſionem,& ipſius poſſesſionis efficiatur uerus,& iuſtus dominus,& poſſeſior.

Qualiter procedatur contra reum citatum non venientem poſt monſtram ſibi factam per tribunum. Cap. LV.

Rei contumacis preſumptio eſt legitimis victibus compeſcenda,et ideo ſi aliquis deinceps ad placitum euocetur,ſeu citetur ſuper re immobili, ſeu ſtabili, & reus a quo petitur poſſesſio petat ſibi fieri monſtram, ſeu deſignationem ad oculum poſſesſionis petitæ, & de mandato Curiæ per tribunum facta extitit deſignatio oculata petitæ poſſesſionis, ſi poſtea ipſe reus,

cui facta eſt deſignatio oculata petitæ poſſeſſionis citatus vnico præcepto ad placitum venerit, & accepto termino ad deliberandum ipſe reus vti noluerit aliquo iure ſuo. Volumus quod tũc Curia nihil aliud facere teneatur niſi quod ponere debeat actorem in diſtrictam, ſeu tenutam ipſius poſſeſſionis, ſeu ad oculum aſsignatæ.

Quod ſufficiat ſi vnica monſtra facta fuerit tempore vnius Comitis. Cap. LVI.

Si reo citato ſuper re ſtabili, ſeu in mobili vna monſtra petitæ poſſeſſionis ſeu deſsignatio oculata tẽporibus alicuius Comitis ſemel facta fuerit, Nolumus quod ipſe reus ſi uiuit, aut ſucceſſor eius eo mortuo poſsit, ſeu debeat amplius temporibus eiuſdem Comitis deſignationem oculatam petitæ poſſeſsionis, ſeu monſtram aliquam poſtulare.

Quod quando fit, & præcipitur fieri monſtra, reduci debeat in ſcripturam. Cap. LVII.

Volumus, precipimus, & mandamus quod quando fieri præcipitur, & fit monſtra ſeu deſignatio oculata alicuius poſſeſsionis quod reduci mandetur per Curiam in ſcripturam vt poſsit in poſterum facta petitæ poſſeſsionis deſignatio legitime comprobari.

De poſtulando, ſeu aduocando pro aliјs coram quacunque Curia in placitis. Cap. LVIII.

Licet aliquis ciuis Iadrenſis non poſsit procuratione recipere contra aliquem ciuem Iadræ pro aliquo forenſi, tamen quilibet aduocatus ciuis Iadrenſis poteſt pro quocunque forenſi auctoritate huius ſtatuti aduocationis officium exercere, loqui, ac poſtulare ipſis forenſibus preſentialiter exiſtentibus in cauſis eorum, uel eorum procuratore non ciue Iadratino ſicut ius poſtulat, & requirit.

Qualiter prohibetur aduocatis quibuſdam non poſſe aduocare coram patre filio, vel fratre Iudice. Cap. LIX.

Huius ſtatuti oraculo irreuocabiliter prohibemus, ne filius poſsit eſſe aduocatus ſeu preſtare aliquod patrocinium in aliqua cauſa, quæ debeat per patrem iudicem audiri, ſeu quæ coram patre iudice debeat placitari, nec ecõtra, item frater non poſsit eſſe aduocatus in aliqua cauſa, quæ debeat coram fratre iudice placitari, ſiue frater ille fuerit vterinus, ſiue conſanguineus, qui contra hoc fecerit repellatur omnino, nec per Curiam aliquam

modo aliquo audiatur. Volumus deinceps, & perpetuò ſeruari mandamus quod aduocati Comunis Iadræ auctoritatem habeant corrigendi omnes officiales,& ſi contradixerint auctoritatem habeant placitandi cum eis coram Curia Iadrenſi.

De dilationibus, & diebus feriatis,& non feriatis. Cap. LX.

Ordinamus quod ſi aliquis infirmus vocatus fuerit ad placitũ & aliquis pro eo alligauerit caſum ſuæ infirmitatis,& petierit inducias pro eo,debeat ipſe habere inducias quadraginta dierum, & ſi poſt quadraginta dies non comparuerit in iudicio per ſe,vel per alium, de iure reſponſurus dari debeat diſtricta contra ipſum,non obſtante infirmitate allegata de ipſo.

Qualis dilatio dari debeat reo prima uice uocato ad placitum. Cap.LXI.

Satis rationabiliter decreuimus ſtatuendũ quod reo prima vice ad placitum citato non poſſit dari maior dilatio quinq; dierum, nec minor trium dierum,niſi hoc procedat, & fiat ex cauſa de comiſſione maioris vel minoris Curiæ ſpeciali.

Quis dies dici debeat feriatus. Cap. LXII.

Quia poſſet in dubium reuocari quæ dies dici debet feriata,& quæ non, huius ſtatuti auxilio ordinamus, quod illa dies feriata eſſe dicitur in qua Iadrenſis maior Curia ordinarie non ſedebit.

De ſatiſdando,ſeu de danda ſicuritate idonea de parendo iuri. Cap.LXIII.

Cum ſepe contingat quod propter cauillationes,& ſupterfugia debitoris petitor non poreſt ad ſuum ſeu ſibi debitum peruenire.Statuimus, & ordinabiliter prouidemus quod ſi aliquis citatus fuerit legitime vt veniat alicui de iure reſponſurus & ipſe citatus coram Curia veniens in termino,vel ante terminum poſt cirarionem proteſtetur, & dicat,ſeu excipiat non debere inquietari ex eo quia paratus eſt viagium aliquod facere,& extra diſtrictũ ciuitatis Iadræ exire, ſi Curiæ videbitur dare eum oportet ſecuriratem idoneam de parendo uri qando debita m fuerit ſine carta. Item quando debitum fuerit cum carta,& terminus cartulæ eſt tranſactus deinde relinquat procuratorem idoneum poſtea recedat, & expectetur uſq; ad terminum aſſignatum eidem per prouidentiam & Curiæ voluntatem. Verum ſi debitor eſſet cum carta, & nondum inſtrumenti terminus ſit elapſus, tunc ſufficit ſi procuratorem relinquat, & demum expectetur ad Curiæ voluntatem, et ſi quidem aliquis debitor predictorum venerit infra tempus eidem per Cu-

riam aſſignatum teneatur ſubire iudicium,& venire ad placitum,& reſpondere de iure petenti. Si autem non venerit de viagio infra prediĉtum tempus,ſiue quantitas,ſiue res mobilis ab ipſo petatur,ſiue immobilis citetur procurator ab ipſo reo relictus, & contra ipſum procuratorẽ procedatur in cauſa,vel ad diſtrictam ſi voluerit procurator,& ſententia proferatur. Demum executioni mandetur ſecundum formam ſtatutorum Comunis Iadræ.Et omnia cum tali procuratore facta valeant, & teneãt ſicut ſi ipſe reus preſentialiter interfuiſſet,omnibus quæ facta ſunt cum ſuo procuratore.

De ſequeſtratione bonorum. Cap. LXIIII.

Statuimus inſuper vt cum Dominus Comes, & eius Curia viderit aliquẽ debitorem ſuſpectum ad ſua debita perſoluenda ex aliqua iuſta cauſa rationabiliter coram Curia legitime per petitorem approbata ad poſtulationem actoris bona rei ſequeſtrentur,& adminiſtratio bonorum ſequeſtratorum interdicatur ipſi reo debitori, ita quod iuſto petitori ſalua ſint,vt poſſit in poſterum ad ſibi debitum per ſententiam Curiæ peruenire, & conſequi ſuum,cum legitimis expenſis,& executio ſententiæ ſecundum formam & tenorem ſtatutorum Comunis Iadræ, promulgatæ fieri debeat in bonis interdictis, & taliter ſequeſtratis vſque ad ſummam veri debiti, & penæ ac etiam omnium expenſarum factarum iſta de cauſa.

De arbitris. Cap. LXV.

Rite & ſecundum iura putamus fore prouiſum, ſi ſub orta litigia,& queſtiones emergentes de voluntate, & beneplacito partium, quarum intereſt ordinabiliter terminentur quo circa rationabiliter prouidimus ſtatuendũ, quod quandocunque lis aliqua,queſtio,cauſa,ſeu querella fuerit inter quaſcunque perſonas ſuper quacunque re contracta, vel poſſeſſione,in ciuitate Iadrenſi vel eius diſtrictu,& de ipſa ſeu ipſis per ipſas partes fuerit compromiſſum ſub certa pena in plures iudices,vel in quoſcunque alios comunales amicos quidquid per maiorem partem electorum à partibus arbitrorum fuerit definitum, laudatum,ſeu ſententiatum, & amicabiliter arbitratum debeas à partibus perpetuò inuiolabiliter obſeruari, quod ſi aliqua partiũ ſentẽtiam arbitrorum ſiue laudum noluerit obſeruare compellatur per Curiam ad penæ in compromiſſo adiectæ ſolutionem integraliter faciendam, omni excuſatione remota, qua pena ſoluta poſſit pars quæ ſoluerit pœnam terminatam per arbitros litigiũ ſubſitare, ſi in carta compromiſſi facti non fuerit contradictum.

Quod ſi in vnum arbitrum fuerit compromiſſum ſtatuendum erit ſententiæ per ipſum promulgatæ. Cap. LXVI.

Si in vnam perſonam tantum factum fuerit cõpromiſſum, & illa perſona poſtea ſententiam ferat inter partes. Volumus quod illa talis ſententia habeat pleniſsimam firmitatem,& pars quæ nõ obſeruauerit, pœnam ſoluere teneatur.

Quod compromiſſum ſine carta factum à decem libris ſupra, nullius debet eſſe momenti. Cap. LXVII.

Quando compromiſſum aliquod factum fuerit partes à decem libris ſupra ſine carta. Volumus quod tale compromiſſum nullum ſit,nec teneantur partes inuitæ promulgatam ſentẽtiã obſeruare ſi contradicere maluerunt.

De probationibus. Cap. LXVIII.

Diſpendia litium volentes æquitatis compedio quanta poſſumus diligentia choartare ſatis fauorabiliter prouidimus ordinandũ. Quod ſi aliqui ſuper mutuo,uel alio quocunq; pecuniario debito, de quo nulla facta fuerit carta, fecerit alium per curiam ad placitum euocari, nec habeat niſi vnum vel forte duos teſtes ad probationem ſibi debitæ quantitatis. Siquidem debitum fuerit quinq; librarũ vel minoris ſummæ credatur probationi vnius teſtis cum iuramento petentis. Si autem debitum fuerit decem librarum, vel minoris ſummæ deſcendendo vſq; ad ſummam librarum quinq; denariorum Venetorum paruorum,credatur probationis duorum teſtium cum iuramento petẽtis,& non paucioribus,aliter autẽ facta probatio ſuper quãtitatibus antedictis,de quibus nulla fuerit facta carta, nullius ſit ualoris.

Per quem debent teſtes examinari. Cap. LXIX.

Si quantitas pecuniæ quæ petitur,fuerit maioris ſummæ decẽ librarum, nullo modo credatur teſtibus,quibuſcunque etiam ſi fuerint plures quàm duo, niſi de ſumma tali maiori librarum decem factum fuerit publicum inſtrumentum ſecundum conſuetudinem, & ſtatutum Ciuitatis Iadrenſis, tunc enim & inſtrumentum plene probet, & ſi teſtes aliqui producantur adiuuent Inſtrumentum.

Ex fama publica probatur filiatio & conſanguinitas. Cap. LXX.

Si publica fama fuerit quod aliquis fuerit filius,vel filia alicuius non ſit

neceſſe quòd ſuper hoc alia probatio exigatur, Idem dicimus de Conſanguineis, Nepotibus, & Propinquis.

Qualiter incumbit probatio debitori ſi petitor ſolutionem denegabit. Cap. LXXI.

Sicut creditor qui pecuniam petit mutuatam fuiſſe probare cogitur, ita ècontra debitor qui redditam fuiſſe affirmat factæ ſolutionis probationem præſtare debet.

Quis probare habet ſuper queſtionibus poſſeſsionum, an qui poſsidet, an qui petit. Cap. LXXII.

Poſſeſsiones quas quiſquam ad ſe pertinere dicit, more iudiciorum debet in placito poſtulare, ac probare quod petit, neque enim poſſeſſori incumbit neceſsitas probandi ipſas poſſeſsiones ad ſe pertinere, quia actore deficiente in probatione Dominium poſſeſsionis ſemper remanet apud eum, qui inuentus fuerit poſsidere.

Quod quando actor non probat reus, debet abſolui, & ſi nihil probet. Cap. LXXIII.

Actor profitendo ſe nō poſſe probare quod aſſeuerat, non aſtringit reum citatum neceſsitate contrarium demonſtrandi, quia probatio negantis factum nulla eſt, cum negatiua probari non poſsit.

Quod nullius probationes admittantur, niſi intentio ſit in ſcriptis primitus aſsignata. Cap. LXXIIII.

Cum aliquis aliquid probare intendit contra alium antequàm aliquid probet debet intentionem ſuā porrigere per ſcripturam, alioquin eius probatio nullatenus audiatur.

De teſtibus, continet iſte titulus ſex capitula, quod nomina teſtium producendorum in cauſis ſpecificata ſecreto reduci debeant in ſcripturā & probanda intentio in ſcriptis aſsignari, & huiuſmodi teſtes poſtea citentur ad perhibendū. Cap. LXXV.

Quoniam rerum magiſtra experientia efficaciter nos inſtruxit per teſtes fide dignos, & bone opinionis, atque carentes omni macula falſitatis, ſeu ſuſpitionis cuiuslibet debere Iadrenſem Curiam informari, ac cuiuſcunque placitum terminari deliberatione penſata, irreuocabiliter proui-

dimus ordinandum quod cum aliquis queſtionem, ſeu placitum habuerit contra alium ſuper aliqua cauſa, queſtione, ſeu querela, in quo placito ius ſuum probare uoluerit per teſtes illos, teſtes quos putauerit producendis cum nomine, & cognomine veritatis, teneatur & debeat ſtatim coram Curia nominare ſecreto. Quorum nomina iubeantur per Notarium Curiæ redigi in ſcripturam. Demum poſtea teneatur dare intentionem ſuam in ſcriptis, quam intendit probare per teſtes nominatos ſecreto. Quibus ſic per actis Iadrenſis Curia vocata parte aduerſa teſtes citari faciat, taliter nominatos ſi ſunt Iadræ, vel in eius diſtrictu, vt coram Curia perſonaliter in certo termino ſe preſentet ad perhibendum in ipſa cauſa ſuper intentione data in ſcriptis teſtimonium veritati.

Per quem teſtes debeant examinari. Cap. LXXVI.

Deſiderantes quanta poſſumus induſtria, & cautella, vt probationes quæ fiunt in placitis ſine ſuſpitione procedant, Volumus, & deliberatione prouida ordinamus, vt quando teſtes in cauſis producuntur ad probationem iurium actoris, vel rei plenarie oſtendendam examinentur ipſi teſtes per Dominum Comitem, vel Iudicem, ſeu Tribunum, prout Domino Comiti, & eius Curiæ qui pro tempore fuerit viſum fuerit vtile & ſalubre.

Qualiter puniantur teſtes qui doloſe ſe ſubtraxerint de perhibendo teſtimonio veritati. Cap. LXXVII.

Si aliquis teſtium citatorum in termino ſibi aſsignato non comparuerit, ſeu ſe ſubtraxerit fraudulenter, & nulla eum iuxta cauſa compellente ſoluat ſoldos viginti, denariorum Venetorum paruorum Comuni Iadræ nomine banni. Si non venerit in prima citatione, ſi autem non comparuerit in ſecunda, ſoluat ſoldos quadraginta paruorum, ſed ſi in tertia citatione ſe ſubtraxerit, & contumaciter neglexerit comparere, ne teſtimonium perhibeat poſtulatum ſoluat ſoldos centum paruorum, & nihilominus poſtmodum per Curiam modis omnibus compellatur omnino venire, & deponere dictum ſuum, quod ideo eſt ordinatum, ne probationes veridice & legitime iuſtis petitoribus per malitiam & tarditatem iniquorum teſtium indebite ſubtrahantur.

Qualiter producti teſtes debeant examinari. Cap. LXXVIII.

Ad hæc quia ſolet in dubium reuocari à multis qualiter teſtes producti in cauſa ſeu placito cuiuſcunque examinari debeant hanc dubitationem. Volumus preſentis ſtatuti pagina reſerrare debet, debet enim Dominus

Comes, Tribunus, ſeu Iudex qui examinat teſtes à quolibet teſte per ſe, & ſeparatim, ac ſigillatim, & ſecreto qui producuntur ad inueſtigationem veritatis petere & inquirere de re ſuper qua producitur, prout eis videbitur dum tamen reducantur in ſcriptis dicta teſtium productorum.

Item qualiter teſtes debeant examinari. Cap. LXXIX.

Si queſtio aliqua fuerit coram iudicibus aliarum Curiarum ab illa Domini Comitis, & teſtes aliqui in placitis producantur. Volumus quòd teſtes ipſi examinentur, pro vt iudicibus aliarum Curiarum videbitur expedire pro indagine veritatis.

Quomodo qua forma & ordine breuiarium teſtium debet ordinari. Cap. LXXX.

Si aliqua perſona habuerit, vel ſperet habere aliquam queſtionē, cauſam, ſeu litem contra aliquem, ſeu aliquos, tam in Iadra, quàm extra, propter quòd voluerit, & oportuerit ipſum facere fieri breuiarium de guarentigia fiat illud per infraſcriptum modum, ordinem, & doctrinam, videlicet, quod primo citetur pars aduerſa contra quam petitur fieri breuiarium antedictum, ſi fuerit in Iadra, vel eius diſtrictu, & notificetur eidem per Curiam examinatorum, quod petitur fieri breuiarium teſtium contra ipſum per talem addito nomine & cognomine petentis, quo facto, ſi ipſe uenerit & monſtrauerit aliquod rationabile propter quod fieri nō debeat breuiarium poſtulatum audiatur beniuole, & utente, & procedat Curia examinatorum ad breuiarium faciendum, vel denegandum vtraque parte preſente ſecundum formam ſtatutorum Comunis Iadræ. Si autem non uenerit in termino ſibi aſſignato, tunc Curia examinatorum deliberet per ſe, vtrum ſit faciendum breuiarium teſtium, nec ne ad poſtulationem petentis, & ſecundum quod per eorum prouidentiam fuerit terminatum fiat breuiarium, vel negetur quod breuiarium illum tantum habeat firmitatem, quam haberent teſtes, ſeu dicta teſtium, qui in aliqua Curia deponerent dictum ſuum. Verum, ſi aduerſa pars non poterit reperiri in Iadra, vel eius diſtrictu, tunc Curia examinatorum aduerſæ partis abſentia non obſtante prouideat vtrum breuiarium teſtium ſit concedendum parti preſenti, & ſi putauerit Curia examinatorum concedendum eſſe petenti breuiarium teſtium ſepe dictum, in aliquo caſuum prędictorum tunc ſaltem duo de examinatoribus ponant matrum breuiario, ſeu dictis, & depoſitionibus, teſtium receptorum, prout debuerint, & tenentur ſecundum formam, ordinem, & tenorem ſtatutorū Comunis Iadræ, & prout ad ipſorum officium noſcitur pertinere.

De iura-

De iuramento preſtando, ſeu faciendo in placitis. Cap. LXXXI.

Deſiderantes bonam fidem inter contrahentes plenarie obſeruare equitate penſata prouidimus ordinandum, quod ſi aliquis alicui ſine carta & teſtibus aliquam quantitatem pecuniæ mutuauerit, vel ſe eidem aliter obligauerit ſecutus, tantummodo fidem ſuam ſine alicuius preſentia, & vocatus ad iudicium per creditorem confiteatur mutuum, ſeu obligationem, ſed aſſerat ſe iam ſoluiſſe quod promiſerat, vt promiſit, detur iuramentum debitori, qui dicit ſe ſoluiſſe, & nō creditori qui petit, vt ille creditor qui adhibuit fidē mutuando debitori teneatur etiam debitoris credere ſacramēto.

Qualiter ſacramentum filio, vel filiæfamil. aut alicuius heredi ſuper contractu producto contra aliquem denegantem debeat exhiberi. Cap. LXXXII.

Cum filius, ſeu filiafamilias, vel heres alicuius perſonæ ex contractu patris, vel matris, ſeu ex carta illius, cuius eſt heres, petierit quod ſibi debetur ex contractu defuncti cui ſucceſsit & debitor citatus ante Curiam ad petitionem heredis contradicat carte in totum, vel in partem, & per Curiā ſententiatum fuerit filium, ſeu heredem iurari debere ſuper ipſa cartula, ſeu inſtrumento producto ante Curiam, & oſtenſo. Volumus quod iſte heres duo iurare teneatur & debeat, primum quod ipſe filius, ſeu quicunq; alius ſucceſſor credat illam cartam veram eſſe, & iuſtam, & non ſimulatam, nec fictitiam. Secundum quod credat de debito ipſius cartulæ patri, ſeu matri, vel illi cui ſucceſsit nunquàm de debito illius cartæ fuiſſe ſatisfactum in totum, vel ſi de parte credat ſatisfactum eſſe, & de parte non iuret, quod tantum remanſit ad ſoluendum, & omnia quæ talis heres per ſuam credētiam proprio ſacramento firmauerit credatur per Curiam uerum eſſe, & faciat eidem iuranti integraliter ſatisfacere, vt iurauit. Inſuper volumus, & idem in omnibus, & per omnia comuniter obſeruari mandamus, in quocunque & de quocunque Inſtrumento producto ante Curiam, vt ſiquidem opponatur inſtrumentum productum fore fictitium, aut fore pagatum in totum, aut pro parte teneatur petitor iurare, ſi Curiæ videbitur ipſum Inſtrumentum non eſſe fictitium, nec eſſe ſatisfactum de toto, vel de parte debiti in Inſtrumento comprehenſi.

De termino trium dierum parti aſsignando ad iurandum, ſi petierit deliberandi cauſa, & non malitiæ motu, neque dolo. Cap. LXXXIII.

Si per Curiam pronunciatum fuerit queſtionē inter aliquas partes ſubortam iuramento alterius partis finiri debere. Et illa pars cui delatum fuerit iuramentum dixerit,ſe velle deliberare quid iurare debeat. Volumus ſi videbitur Curiæ quod nō petatur dilatio propter malitiā quod dari & aſsignari debeat illi parti terminus trium dierum in quibus deliberet quid iurare poſsit & debeat.Et ſiquidem infra illos tres dies ipſa pars recipere iuramētum noluerit, ac iurare non curauerit, tunc Curia abſoluere debet aliam partem ſuper petitis totaliter & in totum. Si vero iurauerit in termino aſsignato,tunc Curia debet ſequi iuramentū,& dare ſententiam, ac facere preceptum ſecundum quòd inuenerit eſſe iuratum. Quod autem ſtatutum eſt in una perſona cui datum eſt iuramentum locum habeat & ſtatutum eſſe intelligatur,quando per Curiam plures perſonas iurare debere fuerit iudicatum, ſi ipſe plures perſone tempus, ſeu terminum petierint, in quo velint deliberare vtrum eis expediat ſubire, ſeu recipere & facere iuramentum, vel non.

Qualiter ſtari debet ſacramento debitoris, ſine carta in minori quantitate librarum decem, niſi per teſtes contrarium videretur. Cap. LXXXIIII.

Conqueritur aliquis actor ſine carta de aliquo,ac vocat eundem ad placitum coram Curia dicens & allegans,quod ipſe eſt ei obligatus ſine Inſtrumento ad certam pecuniæ quantitatem minorem, tamen decem libris denariorum Venetorum paruorum, at ille reus reſpondet eidem Amice non tibi debeo tantam pecuniæ quantitatem, ſed debeo forte octo, vel ſex, vel quinque,prout putauerit eſſe verum. Modo queritur cum ille reus citatus confiteatur ſe debitorem eſſe,ſed non in tantum quantum petitur,imo minoris quantitatis pecuniæ ſe aſſerat debitorem,cui debeat defferi ſacramētum an actori qui petit libras decem denariorum Venetorum paruorū ſine Inſtrumento; an reo qui confitetur de minori quantitate. Et certè dicendum eſt, & huius ſtatuti auctoritate uolumus & mandamus quod reo qui de parte debiti eſt confeſſus & non creditori qui decem libras petit,dari debeat iuramentum,& ſecundum quod iurauerit condemnetur,& in reſiduo ſententialiter abſoluatur. Niſi creditor idemq; actor antequàm iurauerit Iadratinus,per teſtes legitimos ſe offerat probaturū de omnibus decem libris, tunc enim non detur iuramentum reo,ſed probationes creditoris audiantur,& ſecundum quod plene probauerit per Curiam procedatur condemnando videlicet reum,ſeu etiam abſoluendo.

De ſacramento preſtando Domino rei locate, ſi infra duos annos poſtulauerit à conductore,& quibus perſonis non obſit. Cap. LXXXV.

Si propter pretium rei locatæ, vel partem pretij, vel propter quamcunque aliam cauſam inter Dominum & habitatorē quæſtio aliqua oriatur ſtetur iuramento Domini, domus cum ante completos duos annos, poſtquam há bitator exiuit de domo, ipſe Dominus petierit, quod ſibi debetur, & ſi Dominus domus iurare noluerit, iuret qui domum conduxit, vel habitauit, poſt autem completos duos annos ipſe Dominus domus nullatenus audiatur, niſi Dominus domus eſſet minor annis viginti, vel furioſus, vel abſens, quibus minori nolumus tempus prædictum aliquod præiudicium generare priuſquàm veniat ad legitimam ætatē, furioſo ad ſanitatem, abſenti dum redeat de abſentia, ſi nullum habeant qui penſionem petere poſsit non ſolutam. Sed ſi contingerit quòd Dominus domus non eſſet in Iadra, ille qui preeſt in familia, vel ille cui ipſe Dominus hoc commiſerit, vel comiſſarius generalis petendi ipſam poſſeſsionem non ſolutam, vel partem deficiētem, ac etiam iurandi ſecundum conſcientias eorum, habeat pleniſsimā poteſtatem, & quod iurauerint executioni debite per Curiam demandetur.

Qualiter ſtandum eſt ſacramento Domini, ſi conductor citatus non comparuerit in primo termino reſponſurus. Cap. LXXXVI.

Quotiens inter Dominum domus, & conductorem ſuborta fuerit materia placitandi, & conductor vocatus ante Curiam non comparuerit in primo termino reſponſurus de iure Domino domus ſine aliqua indutia aduocari, & ipſa locatio domus per teſtes probari non poſsit, nec etiam per publicum Inſtrumentum. Volumus quod ſtari debeat in hoc caſu ſacramento Domini domus, vel Domino abſente ſacramento illius cui commiſit familiam ſuam, vel Domino defuncto ſtetur ſacramento heredis ipſius, vel Comiſſarij generalis, qui debent & poſſint ſecundum eorum conſcientias petere, & iurare, ſed ſi Dominus domus, vel alij ſupradicti ſubire recuſauerint iuramentum, tunc Curia conductori, ſeu habitatori deſferat iuramentum, ſeu illi qui domum tenuit & recepit. Quo ſacramento preſtito per aliquam partium prædictarum, Curia ſecundū quod iuratum fuerit teneatur & debeat iudicare, & executioni debite demandare.

Qualiter ad poſtulationem ſecundi creditoris ſacramētum dari debet primo creditori, ſi opponatur quòd Inſtrumētum productum ſit fictitium, vel pagatum. Cap. LXXXVII.

Quotiens opponitur in iuditio priori creditori per ſecundum creditorem quod Inſtrumentum ſuum ſit fictitium, vel pagatum in totum, vel pro parte, tunc Curia compellat primum creditorem iurare Inſtrumentum

productum eſſe verum,nec de ipſo inſtrumento adhuc debitum ſuum, vel partem aliquam recepiſſe.

De fide inſtrumentorum, & de tabelionum officio,& ſatisfactione decenti,titulus iſte continet.17.Capitula. Cap.LXXXVIII.

Laudabili iure à conſuetudine diutius approbata,ſtatuimus,& irreuocabiliter ordinamus, quod ſi aliquis Notarius deceſſerit priuſquàm per ipſum inſtrumenta abreuiata compleantur,ſeu in publicam formam reducātur,tunc dominus Comes,cum ſua Curia compleri faciat talia inſtrumenta per bonum,& legalem notarium,ſeu tabelionem qui poſsit,& ſciat perficere ſecundum quòd in notulis, ſeu in breuiaturis defuncti tabelionis ſerioſius continetur,quod ſi ita perfectum fuerit, & extractum per alium tabelionem, de in breuiaturis habeat pleniſsimam firmitatem,ſi perfectum fuerit,& ſubſcriptum ſecundum ſtatuta Comūnis Iadræ.

Quod Notarius facta ſibi ſolutione nomina teſtium,& cōtrahentium & quantitatem,cum die,menſe,& anno, incontinenti ſcribere teneatur. Cap. LXXXIX.

Statuimus quod omnes Notarij Iadræ,& ipſius diſtrictus in virtute preſtiti ſacramenti teneantur incontinenti notare, ſeu in ſcriptis ponere omnia nomina teſtium, & contrahentium, & quantitatem, cum die,menſe,& milleſimo,preterea ſi fuerit ſibi integraliter ſatisfactum teneantur ipſa inſtrumenta de quibus ſunt rogati,ponere in quaterno,in breuiaturarum, in ſcriptis integraliter,&diſtincte,ac de verbo ad uerbum,ſecundum quod debet fieri carta infra tres dies, poſtquàm fuerint rogati à partibus coram teſtibus. Quod ſi ipſi Notarij,infra tres dies, poſtquàm rogati fuerint coram teſtibus non poſuerunt tenorem inſtrumentorum in breuiaturis, vt eſt dictum,nulla iuſta cauſa interueniente, pro quolibet die ſuæ negligentiæ ſoluant Comuni Iadræ groſſos ſex.

Quod Notarius pro ſcribendo contractu rogatus,ſibi faciat ſatisfieri, quia contractu reperto in nota Notario credatur eſſe ſolutum. Cap. XC.

Volentes contrahentium iuſtas promiſsiones debere operibus,reuera integraliter adimplere. Statuimus cum aliquis tabelio Iadrenſis rogatus fuerit a partibus coram teſtibus pro aliquo contractu ſcribendo quòd ipſe tabelio primo, faciat ſibi ſatisfieri pro ſuo labore deponendo contractum in notam. Quia poſtquàm contractus repertus fuerit, ſeu poſitus in notā intelligetur,ex toto,ſibi fore plenariè ſatisfactū,nec amplius audietur ſuper hoc.

Quod Curia de partibus inſimul obligatis partem affugientem examinatorē rogare compellat. Cap. XCI.

Si aliqua de partibus quæ per contractum ſunt inſimul obligare ex quacunq; cauſa ſuper quacunq; re ſe ſubtraxerit,ſeu ocultauerit, ne roget infra menſem examinatorem Comunis ſuper imponenda manu in ipſa carta, & facto contractu, tunc Curia conſtringat partem quæ ſe ſubtraxerit,vel ocultauerit,vt ipſa pars roget examinatorem quòd manum imponat,quia ſi intra predictum menſem examinator non fuerit rogatus vltra menſem, nec nota,nec inſtrumentum extractum haberet aliquam firmitatem.

Quod examinator compellatur manum imponere cartulæ iuſta finem menſis à partibus approbatæ,ſi vnius partis copia haberi non poſſet. Cap. XCII.

Cum aliqua partiū fuerit abſens,ita quòd de facili eius copia haberi nō poſsit ad petitionem partis preſentis, & inſtantis,ſeu fieri poſtulantis examinator Comunis compellatur iuſta finem menſis per Curiam manum imponere ipſi cartulæ à partibus comprobatæ, vt iux. formam notulæ inſtrumentum partium compleatur abſentia, & malitia illius partis abſentis, ſeu quæ ſe ocultauerit,nullatenus obſiſtente,quòd ſi obmiſſum fuerit poſt menſem fieri non poſsit,nam talis cartulæ poſsit vires aliquas habere.

Quod Notarius recepta ſolutione,poſtquàm rogatus fuerit à partibus contractū,de verbo ad verbum,in libro in breuiaturarum ponere teneatur. Cap. XCIII.

Ordinamus quòd tabelio ſi ſibi fuerit ſatisfactū,teneatur infra tres dies, poſtquàm fuerit rogatus à partibus ponere contractum diſtincte, de verbo ad verbum in quaterno in breuiaturarum ſub virtute præſtiti ſacramenti, & poſtea teneatur infra menſem complere ipſum inſtrumentum ſub pœna decem librarū. Niſi forte infirmitate graui,taliter opprimatur,quòd oporteat ipſum in lecto iacere.

Ne aliquis filijsfamil. in poteſtate patris, vel matris manentibus mutuas pecunias dare præſumat. Cap. XCIIII.

Quoniam filij, vel filiæfamilias in patris poteſtate exiſtente, ac ſub protectione Dominio, ſeu defenſione materna manentes, vel in altero eorundem ſepe abutebantur bonis parentum. Ideo præſentis ſtatuti edicto ſalubriter prohibemus, ne aliquis ipſis talibus filijs mutuas pecunias dare, vel eum ipſis contrahere,ſeu ipſos ſibi quomodolibet obligare præſumat, pre-

ter ipſorũ patris,vel matris expreſſam licentiam & conſenſum. Quod ſi aliquis repertus fuerit,tante temeritatis, qui contractus huiuſmodi prohibitos fecerit cum filijsfamilias cũ carta,ſeu ſine carta quo quomodo,ipſi contractus nullius ſint valoris,nec ex ipſis talibus obligationibus, vel contractibus concedatur obligatio aliqua,ſeu exactio petitori.

Quod omnes contractus facti vſque ad publicationem ſtatutorum in ſuo debeant permanere robore. Cap. XCV.

Volumus & huius ſtatuti auctoritate prouide ordinamus, quòd omnes contractus facti,vſq; ad generalem publicationem iſtorum ſtatutorũ ſint,& eſſe debeant in illa firmitate,& pleno robore in qua, ſeu in quo erant,& eſſe poterant temporibus,quibus fuerunt celebrati.

Quod Notarius teſtamentum in imbreuiaturis poſitum perfectum heredibus,& comiſſarijs dare teneatur,& ſibi autenticam matrem reſeruare. Cap. XCVI.

Statuimus, quòd ſi aliquis Notarius rogatus fuerit facere teſtamentum, poſtquàm illud compleuerit ante in breuiaturã,teneatur ipſe Notarius dare illud teſtamentum integraliter, & perfecte heredibus ſcriptis in teſtamento,& etiam comiſſarijs generalibus, & ſpecialibus, & vnicuiq; ſuum, ſi quilibet illud voluerit habere autenticam, aut matrem,ſeu in breuiaturam conditi teſtamenti à qua perfectum,& extractũm teſtamentum traxit originem,Notarius ſemper retineat penes ſe, vt per illius aſpectum poſsit idem Notarius perfectorum, & extractorum teſtamentorum veritatem coram omnibus clare demonſtrare.

Quod non poſsit adici in inſtrumento cuiuſcunq; rei,aut quantitatis maior pœna,quàm ſit quarta pars illius rei, vel debiti in carta comprehenſi. Cap. XCVII.

Iniquam quorundam creditorum extorſionem, equo libramine tolere cupientes.Volumus,& auctoritate huius ſtatuti iniungimus, & mãdamus, quòd aliquis creditor non poſſit adicere, ſeu apponere in inſtrumento cuiuſcunq; rei,aut quantitatis magnæ, vel paruæ, maiorem pœnam quam ſit quarta pars illius rei,vel debiti,quæ,vel quod in inſtrumento comprehenditur,quàm quartã partem nomine pœne poſitam in inſtrumento poſſit creditor petere cum legitimis expẽſis,quod ſi de maiori pœna creditor pactũ fecerit.Volumus quod nihil petere poſſit tabelio autem non poſsit, nec debeat maiorẽ pœnam, quàm ſit quarta pars debiti adicere inſtrumento ſub virtute preſtiti ſacramenti.

Quod alicui tribuno credi non debeat ſuper illo negotio in quo datus fuerit in priſtaldum. Cap. XCVIII.

Putamus fore vtile ordinare,quod alicui tribuno credi non debeat ſuper illo negotio in quo datus fuerit in priſtaldum elapſis quindecim diebus, poſtquàm exiuit de officio Tribunatus,tamen ſi infra dictum tempus quindecim dierum mandauerit cartam, ſeu breuiarium fieri de ſententia promulgata de qua priſtaldus fuerit deputatus.Illud inſtrumentum ſententiæ, ſeu carta valeat & teneat,ac habeat pleniſsimam firmitatem.

De ſolutione facienda Notarijs ſuper teſtamentis conficiendis. Cap. XCIX.

Prouide duximus ordinandum,quod Notarij iurati ciuitatis Iadræ non poſsint accipere de teſtamento, & breuiario teſtamenti illius,qui habebat centum libras in bonis, vel ab inde inferius vltra ſolidos decē denariorum paruorum; ſi uero teſtator habuerit in bonis, vltra centum libras paruorū uſque ad mille,non poſsit accipere vltra ſolidos viginti paruorum. Si autem habuerit in bonis vltra libras mille, vſq; ad quantamcunque quantitatem in infinitum non poſsit accipere vltra.xij.groſſos.

De ſolutione facienda Notarijs. Cap. C.

Decernimus quòd Notarius de alia carta, quàm de teſtamento, & breuiario teſtamenti, & de quocunque alio breuiario non poſsit accipere, vltra groſſum vnum.

Quod Notarius de quolibet breuiario preterquàm de breuiario teſtamēti poſsit accipere groſſos duos,& dimidiū. Cap. CI.

Amicabiliter prouidimus ſtatuendum, quòd Notarius de alio quolibet breuiario preterquàm de breuiario teſtamēti poſſit accipere groſſos duos, & dimidium,& non ultra,pro quo ſalario Notarius teneatur apportare breuiarium ad dominum Comitem,& eius Curiam,& ipſum legere coram ipſo,quādo ipſe dominus Comes debet ī ipſo ponere manū ſuā, & ſua Curia.

Quam pœnam pati debet Notarius,ſi ſolutionem acceperit vltra formam in ſtatutis aſsignatam. Cap. CII.

Si tante preſumptionis in ciuitate Iadræ aliquis Notarius contingerit reperiri quæ de teſtamento,aut de quocunq; breuiario,ſiue de quacunq; carta preſumat vltra accipere quàm ſupra in tribus capitulis proximis ſupra-

ſcriptis eſt ſtatutum, reſtituat duplum eius quod accepit, & nihilominus ſol uat Comuni Iadræ libras quinq; paruorum nomine pœne medietas in accu ſatorẽ debeat peruenire, alia medietas vero pertineat ad Comune Iadræ.

Ne fides aliqua habeatur alicui inſtrumento alibi facto quàm in Iadra, niſi teſtimoniales literas Rectoris loci producat. Cap. CIII.

Quia inſtrumenta quæ de alienis partibus afferuntur nutrire ſolent ſuſpitionem, vt plurimum falſitatis, Ideo preſentis ſtatuti munimine probabiliter inhibemus ne fides aliqua habeatur alicui inſtrumento cuiuſcunque quãtitatis, ſeu negotij facto alibi, quàm in ciuitate Iadræ, vel eius diſtrictu, niſi forte ille qui producit inſtrumentum factum, alibi producat etiam ante Curiam coram qua illo uti deſiderat inſtrumẽto literas teſtimoniales Rectoris illius ciuitatis, ſeu loci in qua, ſeu quo factum eſſe dicitur inſtrumentum, quibus literis contineatur expreſſe, quòd inſtrumentum productum factum extitit per tabelionem, verum, & notorium, ac per hominem bonæ famæ, & fidæ opinionis.

Quod de quacunque venditione, donatione, alienatione, vineæ, domus, & cuiuslibet poſſeſsionis facta à libris decem paruorum ſupra fiat publicum inſtrumentũ. Cap. CIIII.

Sæpe repertum eſt, quòd ea quæ in ſcriptis ponuntur facilius ad memoriam reducuntur, quã ea quæ fiunt in perſonarum preſentia, quarũcunque, & ideo firmiter ordinamus, vt quicunq; voluerit vendere vineam, domum, ſeu quamcunq; aliam poſſeſsionem, vel donare, vel pignerare, ſeu obligare, vel cuiuſcunque gradus alienationem facere, de rebus predictis, ſi predicti contractus fuerint à decem libris denariorum Venetorum paruorum ſupra fiat de ipſis publicum inſtrumentum manu tabelionis Iadrenſis. Quod ſi obmiſſum fuerit, ſeu non factum publicum inſtrumentum talis venditio, donatio, pigneratio, ſeu obligatio, vel cuiuſcunq; generis alienatio, de maiori ſumma decem librarum nullius ſit valoris, quæ omnia locum habeant nõ ſolum in contractibus factis in ciuitate Iadrenſi, ſed etiam ſi ipſos contingat fieri in diſtrictu.

De preſcriptionibus, & quemadmodum incepta preſcriptio interrumpatur, titulus iſte continet quinq; capitula. Quod quicunq; poſſederit poſſeſsionem per ſpatium triginta annorum pacifice, & iuſto titulo intelligatur ex preſcriptione tẽporis verus dominus, & poſſeſſor. Cap. CV.

Statuimus, & ſeruari generaliter imperamus, quod quicunque tenuerit, ſeu poſſederit domũ, vineam, aut terram, ſeu quãcunq; aliam poſſeſsionem immobilem

Immobilem triginta annis, bona fide,& iuſto titulo abinde in antea, talis poſſeſsio tam lõgo tẽpore præſcripta,& ipſe poſſeſſor intelligatur eſſe verus & iuſtus Dominus rei, ſeu poſſeſsionis, tam longo tempore detentæ, ſeu poſſeſſæ omnium aliarũ perſonarum iuribus actionibus,ſeu rationibus excluſis,ac per lapſum tanti temporis, penitus annullatis.

Qui ſint iuſti tituli. Cap. CVI.

Quia poſſent quidam dubitanter merito poſtulare, qui dicantur,ſeu à iure eſſe intelligantur iuſti tituli,ideo hanc dubitationem putauimus lucide declarare. Sunt enim iuſti tituli,ſi quis emit poſſeſsionem aliquam ab aliquo quem credit eſſe Dominum. Item ſi quis recepit poſſeſsionem aliquam ab aliquo non Domino,quem Dominũ eſſe credebat ex cauſa donationis. Item ſi recepit poſſeſsionẽ aliquam ab aliquo non Domino ex cauſa tranſactionis, item ſi quis recepit poſſeſsionem aliquem ab aliquo non Domino,quẽ Dominum eſſe credebat ex cauſa cambij,ſeu permutationis. Item ſi quis inueneˀrit poſſeſsionem alienam in hereditate in qua fuerat inſtitutus heres,quam poſſeſsionem credebat eſſe illius qui ipſum inſtituerat ſuum heredem. Item ſi quis non Dominus legauit, ſeu reliquit alicui aliquam poſſeſsionem, nam ille qui recepit cauſa legati poſſeſsionem poſsidet iuſto titulo rem prædictam.

Qualiter preſcriptio interrumpatur. Cap. CVII.

Cum aliquis qui poſſeſsionem alicuius detinet quam preſcribit ante cõpletam preſcriptionem ſuper ipſa poſſeſsione fuerit ad placitum conuocatus, intelligatur, & ſit interrupta præſcriptio, ſi ipſe poſſeſſor comparet in placito,& reſpondet,Item ſi uocatus ad placitũ ſecundo ſuper ipſa poſſeſſione ante Curiam non comparet. Item ſi ipſe poſſeſſor qui præſcribit facia tur petitorẽ poni in diſtrictam,ſeu tenutam poſſeſsionis petitæ, Item ſi de poſſeſsione petita ipſe poſſeſſor petierit ſibi fieri monſtram. Verum ſi petitor poſtea non proſequatur in placito continuando ceptam videlicet quæſtionẽ ſemel tantum per Curiam requiratur, ut litem inchoatam per ſe,vel per procuratorem legitimum proſequatur. Et tunc ſi non comparuerit petitor ad procedendum in cauſa continuando ipſam cauſam ſaltem uſque ad ſex menſes,poſſeſſor ipſe, qui prius præſcribebat reductus eo ipſo intelligatur in priſtinum ſtatum præſcriptionis,& perinde habeatur, & cõplere poſsit,& ualeat inchoatã præſcriptionẽ,ac ſi nunquàm fuiſſet preſcriptio interrupta, nec fuiſſet unquàm ſuper ipſa poſſeſsione ad placitũ euocatus.

Quod ſi creditor ceſſauerit per triginta annos debitum cartæ peteræ,vel cauſari inſtrumentum habeatur inefficax. Cap. CVIII.

Quia lege ſcriptum eſſe didicimus,quòd per ius ciuile vigilantibus, & non dormientibus ſubuenitur. Ideo ſi aliquis habuerit cartam aliqnam debiti pecuniæ, ſeu cuiuſcunq; rei contra,ſeu ſuper aliquem. Volumus quòd creditor antedictus exigere debeat,quod ſibi debetur ex carta aliqua,uſq; ad triginta annos,& ſi infra triginta annos non exegerit quod ſibi debetur, vel ſaltem placitando coram domino Comite,& eius Curia nõ proclamauerit ſuper ipſa carta contra ipſum debitorem dicimus, quòd præſcriptam ſit contra eum,& quòd ipſa carta nullius ſit ualoris, ac inanis, & uacuã penes creditorẽ in oĩbus,& per oĩa habeatur,nec in Curia Iadrenſi ſuper tali carta poſt prædictũ tẽpus talis creditor perpetuo in poſtetũ audiatur.

Quod ſi paſtinator poſſederit terram paſtinatam per triginta annos ſine queſtione,nõ poſsit vlterius à Domino moleſtari. Cap. CIX.

Si aliquis plantauerit vineam aliquam in terram, ſeu poſſeſsionem alterius ſuo nomine, quã poſſeſsionem ita paſtinatam poſſederit per triginta annos,ſine queſtione,querela,& controuerſia alicuius.Volumus quòd perpetuò ſit ſecurus, nam Dominus ipſius poſſeſsionis perpetuò audiatur cõtra ruſticum paſtinantem non obſtante aliqua conſuetudine, uel ſtatuto loquente de præſcriptione triginta annorum inchoanda & complenda bona fide & iuſto titulo accedente.

De præſumptionibus.Titulus iſte continet xiij.capitula,Quod paſtinator ex forma pacti cum Domino prius facti poſſeſsionem laborans non uideatur tarbare diſtrictam. Cap. CX.

Si laborator,aut paſtinator ex forma pacti prius facti cum Domino poſſeſsionis,ſeu vineæ laborauerit in poſſeſsione,ſeu vinea data in tenutam nõ præſumatur iſte laborator,ſeu paſtinator tarbare diſtrictam,ſeu poſſeſsionem acceptam in tenutam cum propter ius quod in eadem poſſeſsione primitus obtinebat ipſum præſumimus laboraſſe.

Quod ſi Notarius repertus fuerit poſuiſſe contractum in notam,præſumatur ſibi fore ſolutum. Cap. CXI.

Quando aliquis Notarius rogatus fuerit à partibus facere inſtrumentum. Volumus quòd antequàm ponat contractum in notam faciat ſibi ſatiſfacere de labore,uerum ſi ipſe Notarius poſuerit ipſum contractũ in notam præſumptiue,intelligatur ſibi plenarie ſatisfactum. Ita quòd ulterius ſatiſfactionem aliquam non poſſit,nec ualeat poſtulare.

Quod aliquis exiſtens in ætate quindecim annorum ſecerit repromiſſam vxori præſumatur repromiſſa valere. Cap. CXII.

Cum aliquis in ætate quindecim annorum exiſtens vxorem acceperit. Volumus quod in eadem etate vxori ſuæ posſit facere repromiſſam,& præſumimus,atq; mandamus ipſam repromiſſam perinde valere,ac ſi facta fuiſſet per aliquem perfectæ ætatis.Sicut enim ille qui eſt quindecim annorum habet ætatem perfectam ad obligandum ſuam perſonam vxori ſuæ,circa matrimonium contrahendum cum ipſa,ita præſumatur eſſe ab illis ad bona & ſubſtantiam ſuam obligandum eidem,quæ obligatio dicitur eſſe quodāmodo ſequella,& gubernaculum matrimonij iam contracti eo non obſtante quod matrem habuerit patre defuncto,uel quod matre mortua patrem uiuentem habuerit,à cuius poteſtate extitit abſolutus.

Quod quicunq; locauerit, vel conuentauerit alicui terram ad paria bouū, præſumatur quòd conuentio facta ſit, de ſexaginta gognais terræ pro quolibet bouū pario. Cap. CXIII.

Quia expedit obſcuras hominum conuentiones moderabiliter explicari prouide declaramus quòd cum aliquis cuiuſcunque conditionis, ſexus, vel ſtatus exiſtens dederit alicui,uel locauerit,ſeu quomodolibet dare conuentauerit terram,aut locare ad parium,ſeu paria bouū,præſumptiuæ huius ſtatuti auctoritate intelligatur , quòd conuentio facta ſit de ſexaginta gognais terræ pro pario bouum quolibet nominato.

Quod præſumatur poſſeſſor eſſe reductus in priſtinum ſtatum præſcriptionis, ſi petitor citatus queſtionem deſerat inchoatam. Cap. CXIIII.

Si petitor qui præſcriptionem cuiuslibet posſidentis legitime derrupit queſtionem,ſeu placitum deſerat incohatam, & per Curiam requiſitus, ut proſequatur in placito proſequi non curauit, poſſeſſor qui prius præſcribebat reductus intelligatur,& eo ipſo huius ſtatuti auctoritate firmiter præſumatur in priſtinū ſtatū præſcriptionis poſitus extitiſſe. Vt perinde habeatur, ac ſi nunquàm fuiſſet ad placitū euocatus, & nulla fuiſſet præſcriptio interrupta.

Quod ſi quis murum in altitudine vnius paſſus & dimidij, laborauerit & poſſederit in quiete per annum,cenſeatur verusDominus & poſſeſſor, exceptis quibuſdam perſonis. Cap. CXV.

Volumus quòd quicunq; edificauerit, ſeu laborauit de muro in altitudine unius paſſus & dimidij ad minus ſupra terrā, & illud edificatum poſ-

ſederit per unum annum ſine contradictione alicuius Curiæ, vel perſonæ extunc in antea præſumatur, cēſeatur, & ſit verus Dominus illius rei, nec teneatur alicui de illo muro, ſeu edificio in perpetuum reſpondere, hoc tamen nolumus præiudicium aliquod generare alicui pupillo, uel pupillæ, nō habenti Tutorem vel Comiſſarium bonorum omnium generalem, nec furioſo, nec mentecapto, nec ei qui erat extra ciuitatem Iadræ, quando illud tale edificium factum fuit. Verum poſtquàm pupillus peruenerit ad legitimam etatem, uel furioſus, uel mentecaptus ad ſanitatem infra vnum annum, & poſtquàm abſens redierit in Iadra infra ſex menſes poſsit quilibet ipſorum uti iure ſuo contra edificantem, & edificium ſupradictum, quibus temporibus, ſic elapſis ſupradictæ perſonæ nullatenus audiantur.

Infra quod tempus fratres & ſorores per ſe habitantes debeant diuidere bona ſua. Cap. CXVI.

Si fratres aliqui, uel ſorores, aut eorum filij, ſeu filij filiorum qui morantur ſeperantur per ſe in diuerſis familijs, & non ſimul infra tempus decem annorum, ſeu uſq; ad decem annos non diuiſerint bona ſua, quæ habent in Comuni, ita quòd quilibet eorum per ſe ſuam partem ab aliorū partibus ſeparatam integraliter recognoſcat, tunc elapſis decem annis ille qui reparietur in poſſeſsione ipſarum rerum, ſeu poſſeſsionum præſumatur & ſine contradictione alicuius perſone cenſeatur, & habeatur uerus Dominus, & poſſeſſor ipſarum rerum & poſſeſsionum in cuius poſſeſsione fuerit, ita tamen quòd per dictum tempus decem annorum non poſsit, nec debeat currere, vel nocere alicui perſonæ pupillaris etatis, aut furioſo, aut abſenti toto tempore pupillaris etatis, furoris, vel abſentiæ.

Si aliquis partem debiti ſoluerit infra terminum ex carta obligatus in illa quantitate rupta cartula minime præſumatur. Cap. CXVII.

Si aliquis per cartam tenetur alicui ad certum terminum aliquid ſoluere, ſeu dare, ſi partem ſoluerit in termino ordinato de bona equitate præſumimus, quòd ſuper eo quòd ſoluerit cartula non ſit rupta.

Quod fama publica præcedente aliquis, vel aliqua dicatur filius, vel filia alicuius præſumatur eius eſſe filius, vel filia de quo fama laborat. Cap. CXVIII.

Si publica fama fuerit, quòd aliquis, vel aliqua fuerit filius, vel filia, alicuius præſumatur oīmodo filius, vel filia eius eſſe, ita quòd nō ſit neceſſe ſuper hoc alia probatio. Idē dicimus de conſanguineis, nepotibus, & propinquis.

Quod licet vxori ex teſtamento, uti thoro Comuni ſit conceſſum præſumendum eſt, quòd vendẽdi, vel alienandi bona, nullam habeat poteſtatem. Cap. CXIX.

Maritus in ſuo teſtamẽto relinquit, quòd vxor remaneat, & manere poſſit in domo ſua, & vtatur thoro Comuni, ac habeat domum, uictum, & ueſtitum tantummodo. Mortuo marito non eſt aliquatenus præſumendum quòd ipſa vxor habeat aliquam poteſtatem, ſeu poſsibilitatem alienandi, aut quocunque modo in alium transferendi in aliquem caſum aliquid de bonis quondam mariti ſui, niſi ipſe maritus hoc eidem vxori ſpecialiter permiſiſſet in vltima ſua uoluntate.

Quod reo poſsidente alia bona valentia, vltra debitum quod tenetur, creditor non poſsit poni in diſtrictam armorũ, lectorum, ſupralectorum, & veſtimentorum, & domorum, cum illa bona obligata minime cenſeantur. Cap. CXX.

Cum aliquis debitor obligat omnia bona ſua alicui creditori, & creditor, quia ſibi non eſt ſatisfactum in termino petit quod, ſibi debetur, & reo non veniente petit actor ſe poni in diſtrictam de bonis debitoris. Volumus, quòd petitor poni nõ poſsit in tenutam, aut poſſeſsionem armorum, lectorum, ſupralectorum, veſtimentorum debitoris, ſeu rei citati, aut conuicti, vel etiam familiæ ſuæ, nec etiam in poſſeſsionem, & tenutam domus, ſeu domorum in quibus ipſe debitor, cum ſua familia ſe recipit, uiuit, & comuniter habitat, quia ius non preſumit, quòd aliquis debitor ſupraſcriptas res alicui ſuo creditori ſpecialiter obligaſſet eodem debitore res alias poſsidente.

Qualiter Dominus preſumitur reuocans procuratorem ad vnam cauſam conſtitutum. Cap. CXXI.

Si conſtitutus fuerit aliquis ſpecialiter procurator ad cauſam unam, & cauſa ſiue placito incepto Dominus cauſam ipſam tractauit, non vt aſsiſteret cauſe, ſecundum ut ipſam cauſam ſolicite perpetraret, reuocaſſe procuratorem conſtitutum tacito præſumetur. Niſi proteſtetur, uel liquido appareat de contraria voluntate verum, ſi aliquis immineat articulus in quo Dominus ſciret melius cauſæ veritatem, aut ſi ipſe procurator eſſet infirmus, vel forſitã ſe abſentet, ſeu quidquàm, aliud accidat propter quod ipſi cauſæ preſentia Domini fuerit oportuna, tunc procurator ipſe reuocari nullatenus præſumetur.

Quod quis bona fide & iuſto titulo poſsederit per triginta annos continue, verus Dominus præſumatur. Cap. CXXII.

Bona fide, & iuſto titulo poſſeſsionem alterius quis poſſedit per triginta annos continue ſine querella,& controuerſia alicuius. Volumus quòd abinde in antea præſumatur verus & iuſtus Dominus, & poſſeſſor poſſeſsionis,tam longo tempore detentate modo prædicto.

De pœna temere litigantium. Titulus iſte continet quatuor capitula.

Quam pœnam incurrat actor non comparens in termino citato reo comparente. Cap. CXXIII.

Quicunque alium citari ad placitum procurauit, ſi actor poſtea per ſe, vel per procuratorem,vel aduocatum ſuum non uenerit ad primam,vel ſecundam,ſeu tertiam citationē per quam diſtricta,ſeu tenuta dari moris eſt. Volumus quòd actor ipſe compellatur ſoluere reo citato uenienti ſoldos quinq; denariorum Venetorū paruorum,& inſuper compellatur actor reſtituere expenſas factas poſt primam citationē de ipſo reo factam, deinde relaxetur reus per Curiam,& præcepta prius facta ſint vacua, & nulla ipſo iure. Ita quòd propter illas citationes non valeat in poſterum moleſtari, ſi vero actor non uenerit illa die qua debuit facere petitionem ſuam ſupra dictas pœnas incurrat applicandas reo uenienti ad placitum, vt in ſuperioribus eſt ſtatutum.

Quæ expenſæ in cauſa factæ legitime reputentur. Cap. CXXIIII.

Solet interdum à multis probabiliter dubitari,quæ ſint illæ expēſæ, quas ratio,& bonus uſus legitimas appellauit. Volentes hanc dubitationem radicitus amputare,ſtatuimus quòd illæ expenſæ legitimæ reputantur,& ſint quæ factæ fuerint in cauſa, & propter cauſam, ſeu placitum iam ſopitum ſiue in Curia factæ ſint,ſiue extra Curiam, dum tamen propter cauſam & motum litigium,ſeu quæſtionem conſtiterit eſſe factas.

Qualiter Dominus paſſus per operarium ad placitum non ſolum præcium uerum etiam expenſas,& dies operationis perditos ſoluere compellatur. Cap. CXXV.

Si Dominus non ſatisfecerit laboratori de operibus & mercede ſui laboris,prout conuenerit inter eos & propter iſtam cauſam Dominus paſſus eſt per illum operarium ſe facere ad placitum euocari. Tunc Dominus teneatur non ſolum ſatisfacere de petitis, ſi laboratoris petitio iuſta fuerit per Curiam ad inuenta. Verum etiam de expenſis factis in cauſa & operibus perditis uſq; ad diem quo fuerit ſatisfactum integraliter de prædictis.

Quod dominus Comes poſsit punire omnes non obtemperantes mandatis ſuis. Cap. CXXVI.

Volumus,& huius ſtatuti auctoritate probabiliter permittimus quod dominus Comes poſsit punire omnes illos qui non obtemperant mandatis ſuis prout eidem domini Comiti videbitur foro iuſtum.

De ſententia & re iudicata,titulus iſte continet quatuor capitula. Quod dominus Comes difinitiuam ſententiam ſuper re ſtabili ferre debeat in ſcriptis preſente Tribuno, qui mandet ipſuui breuiarium fieri in ſpatio octo dierum. Cap. CXXVII.

Si aliqua ſententia diffinitiua in poſterum fuerit promulganda ſuper rebus ſtabilibus,ſeu in mobilibus,illa talis ſententia in preſentiam vnius de tribunis per dominum Comitem,vel eius Curiam in ſcriptis feri debeat,& non uerbotenus, ſeu oraculo viue vocis,& ea prolata teneatur notarius cauſæ dare tenorem ipſius ſententiæ in vna cedula tribuno coram quo fuerit ſententia promulgata, cuius tribuni officium erit in hac parte, quod ipſe tribunus infra ſpacium octo dierum mandet fieri breuiariũ ſẽtẽtiæ promulgatæ per aliquem Notarium Iadratinum, cui tali breuiario dominus Comes,& Iudices Curiæ antedictæ manũ ponãt,ſeu poſtea ſe ſubſcribant.

Quod ſuper re mobili licitum ſit domino Comiti ſententiam in ſcriptis, vel ſine ſcriptis ferre pro libito voluntatis preſente tribuno qui breuiarium fieri mandet. Cap. CXXVIII.

Cum ſententia fuerit per aliquem ſuper rebus mobilibus,ſeu ſe mouentibus iuribus,vel actionibus promulganda. Volumus quòd illarum rerum ſententia ferri poſsit in ſcriptis,ſi domino Comiti, & Curiæ uidebitur, vel ſi eis videbitur feratur ſententia non in ſcriptis,ſed verbotenus, ſeu oraculo viuæ vocis coram vno de tribuuis qui fuerint in officio tempore ſententiæ promulgatæ, quia ſententia ſic prolata,ſi aliqua partium petierit, ſiue voluerit de ipſa ſententia habere aliquod breuiarium petat illud fieri à tribuno,qui preſens interfuit, quando ipſa ſententia extitit promulgata, cuius tribuni in hoc caſu officium erit infra octo dies mandare alicui Notario Iadratino preſentibus partibus ſententiam ipſam ſcribi,ſeu reduci debere in publicum documentum,& ſi infra terminum ſupradictum octo dierum tribunus non mandauerit,vt eſt dictum, extunc in antea pars illa quæ ſententiam ipſam requirit,recurrat ad dominum Comitem, & eius Curiã, qui teneantur ordinare alicui Notario Iadratino ſententiam, ac mandare eidẽ quòd ipſam ſentẽtiã reducat in publicũ inſtrumẽtũ, quo facto ipſe tribunus propter ſui malitiã,ac doloſam negligẽtiã nihil inde habere debeat.

Quod ſi dubitatio aliqua orta fuerit inter partes diffinitioni Curiæ ſit ſtandum,& non tribuni. Cap. CXXIX.

Si dubitatio aliqua orta fuerit inter partes ſuper tenore ſententiæ promulgatæ ſine ſcriptis. Volumus quod ſtandum ſit ſuper deciſione ſubortæ dubitationis diffinitioni,ſeu arbitratione Curiæ,& non tribuni.

Quod ſi pars illa contra quam ſententia fuerit promulgata non inuenitur in Iadra,vel eius diſtrictu,vel citata non comparuerit, tribunus eandem ſententiam ſcribi faciat per Notarium Iadræ in publicam formamque reduci. Cap. CXXX.

Pars illa contra quam ſententiam extitit promulgata non inuenitur in Iadra,vel eius diſtrictu,vel citata noluit intereſſe,vel non potuit comparere,volumus quod tribunus ipſe qui interfuit tempore ſententiæ promulgatæ mandet alicui Notario Iadratino ſententiam ſcribi, ſeu reduci in publicum inſtrumentum partis alterius citatæ abſentia non obſtante.

Qualiter tabelio de mandato tribuni debeat facere inſtrumentum ſententiæ promulgatæ. Cap. CXXXI.

Quia ſolet in dubium reuocari à multis qualiter tabelio de mãdato tribuni, ſeu priſtaldi debet facere breuiarium, ſeu inſtrumentum ſententiæ promulgatæ, ſeu in cuius perſonam formare debeat verba ſcribendæ ſententiæ,hanc dubitationem putamus breuiter declarare. Volumus enim, ut vox domini Comitis cum ſuis iudicibus loquatur in ſcriptis,dicens per ordinem inter partes,& ſententiam latam,inter ipſas partes dato iuramento per priſtaldum tali parti ad ipſam ſententiam conſeruandam quod ſcribere tenetur Notarius,ſi iuramẽtum alicui partium in ipſa cauſa datum fuerit, alioquin de iuramento ipſe tabelio, ſeu Notarius nullam in breuiario ſententiæ promulgatæ faciat mentionem.

De executione ſententiæ,& cuiuslibet rei iudicatæ,quod executio ſententiæ fieri debet & poſſet per dominum Comitem,vel cui cõmiſerit. Cap. CXXXII.

Volumus quod executio cuiuſcunq; ſententiæ fieri poſſit & debeat per dominum Comitem, & eius Curiam, vel per alium cui dominus Comes cõmiſerit executionem ſententiæ faciendam.

Quod

Quod creditor poni poſsit in tenutam, ſeu diſtrictam bonorum debitoris præterquàm de lectis, ſupralectis, armis, ueſtimētis, & domo in qua habitat vſq; ad duplum eius quod debetur, quibus deficientibus ad nomina, & alias res prædictas ad uoluntatem eius. Cap. CXXXIII.

Ordo rei geſtæ, & mora ſolutionis facta per debitorem deſiderant ſæpe remedium per quod creditores deueniant ad ſibi debitum re ipſa manualiter capiēdum in hijs ſpecialiter rebus, de quibus eſt veriſimile ipſum creditorem uoluiſſe ſpecialiter obligare. Et ideo ſi aliquis debitor conuictus aliquid debere alicui recuſat ſoluere quod debetur, non ponatur creditor in poſſeſsionem infraſcriptarum rerum debitoris videlicet armorum, lectorum, ſupralectorum, veſtimentorum, domus, ſeu domorum, in quibus debitor viuit, & habitat cum ſua familia, quia ius non præſumit, quod aliquis debitor ſupradictas res alicui ſuo creditori ſpecialiter obligaſſet, quando res alias poſsideret, uerum ſi ipſe debitor habuerit terram, vineam, ortum, aut domum, quam nō inhabitet, aut paratineam, quæ res, uel aliqua earum ualeant duplum eius quod debetur ponatur creditor in poſſeſsionem ipſarum rerum, vel earum partis quas petitor elegerit & voluerit uſq; ad quantitatem dupli eius quod petitur. Quod ſi ipſe debitor non habuerit res antedictas tunc ponatur ipſe creditor per Curiam in poſſeſsionem rerum mobilium, & ſe mouentium ſecundum uoluntatem petentis, vſq; ad duplum eius quod debetur. Si vero iſte debitor non habuerit res mobiles, vel ſe mouentes in bonis, ſed habuerit nomina, ſeu aliquos debitores ponatur in poſſeſsionem nominum, ſiue eorum, quæ ſibi debentur, & illorum quæ actor elegerit. Sed ſi, nec bona immobilia, nec mobilia, ſeu ſe mouentia, nec aliquos habuerit debitores, ſed tantummodo arma, lectos, ſupralectos, ueſtimenta, & domum in qua habitet, cum ſua familia, tunc ponatur ipſe creditor in poſſeſsionem iſtarum rerum, vel aliquarum ex hijs ſecundum voluntatem petentis vſq; ad duplum eius, quod tenetur proinde, ſi rem aliquam de predictis, ſeu poſſeſsionum non habeat debitor antedictas, tunc de mandato domini Comitis, & eius Curiæ ipſe debitor capiatur, & in carcerem detrudatur, vſq; ad ſatisfactionē eius quod debetur, & omnium expenſarū factarum iſta de cauſa plenariam & condignam.

De preſentatione denarij facienda reo, ut redimat' tenutam, & de ipſam incantari faciendo. Cap. CXXXIIII.

Quia poſſet aliquis veriſimiliter dubitare, vſque ad quod tempus creditor ille, qui poſitus eſt in poſſeſsione pro ſententia, ſeu re iudicata ſtare debeat in poſſeſsione debitoris conuicti, & ſententiati, & ipſam poſſeſsionem ſic tenere donec ſibi fuerit ſatisfactum de omni eo cum legitimis expenſis, quod ipſe debitor fuerit condemnatus. Volumus hanc dubitationem pre-

ſenti ſtatuti oraculo diſucide reſerare. Dicimus enim quod petitore, ſiue actore poſito in poſſeſsionem aliquarum rerum contentarum in proximo ſuperiori capitulo poteſt facere preſentare denarium reo, & facta preſentatione denarij, reus teneatur redimere, rem acceptam in pagamento, vſq; ad tertiam diem, quod ſi non redimerit, vſq; ad tres dies incontinenti poſt lapſum trium dierum poſſeſsio, ſiue res accepta in pagamentum ponatur ad incantum, & incantetur ſecundum formam ſtatutorum loquentium de incãtu, ita quod preſentatio & dies inceptionis incãtus reducãtur in ſcriptis.

Quod in executione ſententiæ citetur reus quando denarius præſentatur, vel ad domum cridetur ſi eſt abſens. Cap. CXXXV.

Si executio alicuius ſententiæ iminet facienda, Volumus quod ille contra quem debet fieri executio citetur quando denarius præſentatur ad domum ſuæ habitationis, uel ſi eſt abſens cridetur ad hoſtium domus in qua ſua familia habitat.

De executione ſententiæ ſuper bonis ſuſpecti debitoris ſequeſtratis & per ſententiam condemnati. Cap. CXXXVI.

Cum bona alicuius debitoris ſuſpecti ex aliqua iuſta cauſa fuerint ſequeſtrata ſi idem poſtea debitor fuerit per ſententiam condemnatus. Volumus quòd executio ſententiæ ſecundum formam ſtatutorum Comunis Iadræ promulgatæ fieri debeat in bonis ſequeſtratis, vſq; ad ſummã ueri debiti, & pœnæ ac omniũ expenſarum factarum iſta de cauſa.

Qualiter executio ſententiæ debet fieri contra debitores debitoris condemnati per ſententiam. ſi caret alijs bonis in quibus creditori nequit ſatisfieri, niſi in nominibus. Cap. CXXXVII.

Certum eſt quòd parum prodeſſet ſententiam fuiſſe prolatam, niſi eadẽ executioni debite mandaretur, Ideo rationabiliter prouidemus, quòd ſi aliquis creditor ſuum per ſententiam conuicerit debitorem pro ſibi debitum obtinendo. Nec ille debitor ſic conuictus habeat alia bona in quibus prolata ſententia poſsit exequi, niſi forte aliquos debitores, qui eidem debitori condẽnato tenentur ad aliquas pecuniæ quãtitates, fiat executio contra debitores illius debitoris condemnati hoc modo, videlicet quod illi debitores debitoris condemnati vocentur coram domino Comite & Curia, qui inquirant ab ipſis debitoribus condemnandi debitoris per ſacramentum ſolemniter ad quid, & quantum teneantur illi debitori contra quem eſt ſententia promulgata, & ab ipſo debitore condemnato quantum re-

cipere debebat ab eiſdem quo facto dominus Comes, & Curia compellat debitorem condemnatum omnibus modis quibus poſſunt & debent reſtituere inſtrumenta ipſis debitoribus,ſi aliqua inſtrumenta de ipſis debitis facta ſunt verum, ſi de ipſis debitis non fuerunt aliqua facta inſtrumenta compellant illum debitorem condemnatum modo predicto facere bonã & idoneam ſecuritatem de non inquietando ipſos debitores ſuper ipſis debitis pro eo quod iurauerint ſe debere, ita quòd ſint bene ſecuri, poſtea compellat debitores eoſdem eidem ſatisfacere creditori,uſq; ad ſummam iuratam per ipſos de quantitate contempta in prolata ſententia,cum omnibus expenſis factis, iſta de cauſa,& iſto modo in nominibus debitorũ debeat fieri perpetuò executio ſententiæ promulgatæ, quando ille contra quem lata eſt ſententia,aliud mobile, vel immobile non habebat, niſi tantummodo nomina debitorum.

Explicat iſte liber centumq; triginta ſecundus,
Leges adiunctis ſeptem, nec pagina fallit.

INCIPIT LIBER TERTIVS.

DE REBVS CREDITIS, ET DE mutuo, ſeu accomodato. Continet iſte titulus ſex capitula.

IN primo capitulo notificatur quod periculum qui auere ab aliquo recepit ſuſtinere debet,ſi non reſtituerit ad terminum,vel non ſeruauit ordinem cartulæ,& ſi ſeruauerit cui accidit periculum, & ſi partem amiſiſſe uidetur.

In ſecundo notificatur,quòd in quolibet mutuo,ſeu comodato teſtus cartulæ obſeruetur, niſi contra formam ſtatuti pena conſiſtat.

In tertio notificatur quomodo aliquis cui res fuerit comodata accomodante ualeat conueniri.

In quarto declaratur qualiter teneatur ille qui accepit aliquod animal accommodatum,ſi periculum ei acciderit,vel caſus fortuitus.

In quinto declaratur qualiter puniatur ille qui mutuauit aliquam pecuniã alicui ſeruo,vel ancillæ ſuper pignere,& qui luxit cum eiſdem.

In ſexto capitulo declaratur,quòd in aliquo inſtrumento mutui,ſeu accomodati non poſſit adici maior pena quàm quarta pars mutui, ſeu accomodati perſiſtat.

De pecunia data in collegantia. Continet iſte titulus duo capitula.

In primo capitulo oſtenditur quomodo quis acceperit pecuniam in collegantia termino preterito diſtinc̄te, tam de lucro quam de perdea teneatur creditori reddere rationem.
In ſecundo oſtenditur, quòd nullus teneatur ad reſtitutionem pecuniæ acceptæ in collegantiam vel in rogadiam, ſi caſu fortuito perditam contigerit affuiſſe.

De ſocietate, Titulus iſte continet vnum capitulum.

In iſto ſolo capitulo continetur quam penam debeat ſuſtinere qui ſotium ſuum ſuper ſocietate contracta repertus fuerit defraudaſſe.

De depoſito. Continet iſte titulus duo capitula.

In primo capitulo notatur de periculo contingente illi, qui rem depoſitam non reſtituit in termino, ſiue in totum, ſiue in partē perierit, & de periculo rei depoſitæ, ante terminum reſtitute creditori contingente.
In ſecūdo capitulo notatur, quòd domino rei depoſite ī termino, ſibi oblatione facta, & ſummere denegauerit, ſiue in totum, ſiue in partem res poſtea perierit ſit periculum deponentis.

Quibus ex cauſis, & quibus perſonis interdicatur ſuarū rerum alienatio, Titulus iſte continet octo capitula.

In primo capitulo cauetur, quòd vnuſquiſq; viginti annis minor non poſſit de hereditate paterna, vel materna quidquam alienare, niſi ex forma per ſtatutum ſibi conceſſa.
In ſecundo capitulo cauetur, quòd nullus audeat contrahere cum aliquo mentecapto, facta cridatione per terram, quòd talis eſt mentecaptus.
In tertio capitulo notatur quibus perſonis & locis bona immobilia vendi & in teſtamento legari prohibentur, & de pena contrafacientium, & notarij, & examinatoris.
In quarto notatur qualiter res mobiles, uel ſe mouentes poſſunt vendi, donari, & in teſtamento relinqui Monaſterijs monachis, & Eccleſiaſticis perſonis.
In quinto notatur, quòd orphanus patris & matris regimine denudatus ante completam etatem quindecim annorum nullo modo ſe poſsit obligare, niſi ex eminenti utilitate, & tunc de conſilio duorum ſibi proximorū obtento conſilio, & Curiæ auctoritate.

In ſexto capitulo notatur, quòd nullus Iadratinus audeat emere, vel in pignus accipere ab aliquo forenſi, nec à ciue aliquã rem, ſeu terram litigioſam ſuper qua ſit motum, ſit litigium, & quantitas penæ.

In ſeptimo cauetur, quòd nulli perſonæ Monaſterium ingreſſæ, ante profeſſionem nullo condito teſtamento de ſuis bonis immobilibus diſponendo quoquo modo ſit attributa poteſtas, & in quos debeant deuenire.

In octauo continetur qualiter pizocharæ, ſeu menoricæ vendendi, & donãdi, & teſtandi libertas conceſſa, & prohibita conſiſtat.

De rebus alienis non alienandis, & de prohibita alienarũ rerum alienatione, Titulus iſte continet tria capitula.

In primo exprimitur, quòd nullo modo filij mares, vel feminæ vxorati, vel non extra poteſtatem patris viuentis manentes, ſeu defenſionem maternam defuncto patre præter eorum voluntatem quidquàm uendere, vel alienare poſsit.

In ſecundo exprimitur, quòd ſeruiens mercenarius ſeruus, & ancilla de rebus domini nullo modo posſint uendere, vel obligare præter domini uoluntatem.

In tertio continetur, quòd pater in dimiſſoria relicta filio, uel filiæfamiliæ frugens percipere liceat, dummodo non alienet eandem, & quomodo compellitur ad reſtitutionem ſe alienauerit.

De rebus Eccleſiæ nõ alienandis, Titulus iſte continet vnũ capitulum.

In iſto capitulo ſolo continetur, quòd bona immobilia Archiepiſcopatus Monaſteriorum, Plebium, & Parrochialium non posſint obligari, nec in alios transferri, & ſi poſſunt & debent quibus modis & forma.

De emptione & uenditione, & qualiter uenditor emptori obligetur, & ècontra, Titulus iſte continet vij. capitula.

In primo capitulo notatur, quod de qualibet venditione vineæ, domus, & cuiuslibet poſſeſsionis à libris decem ſupra, debeat fieri publicum inſtrumentum.

In ſecundo notatur de forma & modo arrarum datarum cauſa alicuius rei emptæ & venditæ.

In tertio notatur de pena vltra prætium rei emptæ exhibenda venditori, ſi emptor data arra moram protraxerit inſoluendo.

In quarto notatur de libera poteſtate cuilibet uendendi bona ſua conceſſa pro libito noluntatis reſernata forma ſtatutorum.

In quinto notatur, quòd quaterno mercatoris de draparia à libris decem

ſupra in credentia data fides non adhibeatur ,niſi debitor ſua propria manu ſcripſerit in quaterno .

In ſexto notatur de modo & forma uendendi ius, quòd quis habet inſtrumento cum robore & vigore.

In ſeptimo notatur,quòd nulli ciui liceat emere à forenſi roborem & vigorem contra aliquem ciuem Iadræ præterquàm à Veneto.

De rebus & poſſeſsionibus uendendis ad incantum,& qualiter emptor, talium rerum valeat eſſe ſecurus.Titulus iſte continet x.capitula.

In primo capitulo notificatur in quo caſu, & euentu licitum ſit unicuique bona ſua poſſe facere incantari.

In ſecundo notatur ſolemnitas quo in incantum debeat ex neceſſario obſeruari,vt emptor ſit ſecurus.

In tertio declaratur quorũ poſſeſsiones vendi non poſſunt ad incantum.

In quarto declaratur,quæ pena accidit emptori cui res fuerit deliurata ad incantum,ſi infra tertiam diem non ſolucrit cui deputatum eſt præcium completo inſtrumento deliurationis.

In quinto declaratur qualiter uenditor tempore uenditionis debet eſſe in poſſeſsione rei uendendæ ad incantum.

In ſexto declaratur,quòd nulla deliuratio facta ad incantũ obeſſe poſsit paſculis,& nemoribus comunalibus.

In ſeptimo declaratur de loco & diebus,vbi, & quibus deliuratio incantus fieri debet .

In octauo declaratur qualiter res mobiles debeant incantari, & de modo, & forma ſubaſtationis fiende.

In nono declaratur qualiter res furtiue ſubtractæ uēditæ ad incantum pro tanto præcio poſsit repeti per dominum ab emptore.

In decimo declaratur,quòd quelibet nauis plures habens patronos poſsit incãtari per quēcunq;,ſi per aliquē ſociorũ ipſa nauis ceſſaret nauigare.

De donationibus, Titulus iſte continet duo capitula.

In primo capitulo ſpecificatur quomodo libera ſit conceſſa poteſtas cuilibet donandi bona ſua, quibuſcunque pro libito uoluntatis conſuetudine aliqua non obſtante obſeruata forma ſtatuti.

In ſecundo ſpecificatur quod de quacunque donatione à decem libris ſupra facta,fieri debet publicum inſtrumentum.

De euitionibus , & quando res uendite, vel donate debent excalumniari, ſeu defenſari , Titulus iſte continet quatuor capitula.

In primo capitulo oſtenditur qualiter Curia difinire tenetur utrum uenditor ex calumniare tenetur rem uenditam,nec ne, ſi orta eſſet queſtio ſuper hoc.

In ſecundo oſtenditur,quòd qui uendiderit iura ſua cum robore & uigore non tenetur ex calumniare,niſi pactum fuerit in carta appoſitum.

In tertio oſtenditur qualiter ex natura contractus rem uenditam tenetur uenditor ex calumniare euitandi iure, vel reſtituere prætium iam receptum excepto.

In donatione in alijs teſtus cartulæ obſeruetur.

In quarto oſtenditur,quòd in qualibet carta venditionis, poſſeſsionis terræ,vel vineæ debeant exprimi gognai,uel de quantis paribus bouum, ſi debet poſſeſsio ex calumniari.

De fideiuſſoribus,Titulus iſte continet iij. capitula.

In primo capitulo concluditur,quòd vxor nullo modo fide iubere ualeat, pro marito.

In ſecundo concluditur,quòd debitor non poteſt aſtringi à creditore ante terminum carte ad alios fideiuſſores dandos.

In tertio concluditur,quòd nullus ciuis pro ſclauo fideiubere poteſt, nec ſe principalem conſtituere pagatorem.

De pigneribus,Titulus iſte continet iiij. capitula.

In primo capitulo inſtruitur,ſi unus debitor plures habuerit creditores in diuerſis inſtrumentis,quòd ille creditor, ſit potior in iure qui prior eſt in tempore.

In ſecũdo inſtruitur,quòd ſi plures fuerint creditores in eodẽ inſtrumẽto ueniẽte termino liceat cuilibet ex creditoribus petere partem ſuam.

In tertio capitulo continetur,quòd de qualibet pigneratione poſſeſsionis à decẽ libris ſupra debeat fieri publicũ inſtrumentũ manu tabelionis.

In quarto capitulo cõtinetur,quòd ſiquis habens rem ob certã pecuniam in pignere penes ſe alteri obligauerit pro maiori ſumma dominus ipſum pignus redimere poſsit, pro ea quantitate pro qua ſecundus obligauit ſaluo eidem iure contra ſuam perſonam.

De ſolutionibus,Titulus iſte continet iiij. capitula.

In primo notatur, quòd ſi ſine carta à teſtibus aliquot auctoritate aliquis accepit, illud, ſine carta à teſtibus reddere poteſt creditori.

In ſecundo notatur,quòd ſi aliquis debitor ſe offerat ſoluturum creditori,quod tenetur ex carta eidem creditor reddere teneatur inſtrumentũ

quòd ſi Iurauerit perdidiſſe ſecuritatis cartulam facere compellatur.

In tertio notatur quomodo & qualiter heredes defuncte perſone ſua debita ſoluere choartentur.

In quarto capitulo denotatur, quomodo & qualiter debitor poteſt perſonaliter detineri & poni in caſtellum, vel ſubtus lodiam.

De diuiſione quorumcunq; bonorũ comunium facienda, & de omni eo quòd poteſt dari ſeu aſsignari ante partẽ alicui ex filijs à patre ipſorũ, vel matre. Titulus iſte continet quinq; capitula.

In primo capitulo continetur quòd ex quacunq; diuiſione poſſeſsionis valoris librarum decem, & ultra fiat publicum inſtrumentum.

In ſecundo notatur, quòd Comes & Curia tenetur dare partitores petentibus ſuper diuiſione bonorum.

In tertio deſcribitur, quòd fratres & ſorores poſt mortẽ patris in diuerſis familijs morari uolẽtes infra decẽ annos diuidere teneãtur bona relicta.

In quarto capitulo continetur, quòd pater familias alicui ex filijs non poſſit dare ante partem ultra quàm libras decem pro centenario.

In quinto continetur, quòd filijfamilias dimiſſoriam eis relictam patre uiuente poſt mortem patris capiant ante partem.

De locatione & conductione omnium rerum ſtabilium, mobilium, & ſe mouentium, & operarum omnium perſonarum. Titulus iſte continet xix. capitula.

In primo capitulo aſsignatur qualiter dominus poteſt pignus accipere de bonis in domo locata repertis.

In ſecundo aſsignatur, quòd dominus poſsit exigere fictum coram Curia à conductore qui domum conductam relinquit ante terminum.

In tertio aſsignatur, quòd conductor non poſsit ante terminum expelli de domo conducta niſi caſibus in quibuſdam.

In quarta aſsignatur, quòd conductor domum conductam exiens poſsit eam honeſte perſone locare niſi in certis caſibus.

In quinto aſsignatur, quòd ſi dominus uendiderit domum locatam liceat emptori, niſi aliud pactum apparent inuitum expellere conductorem.

In ſexto aſsignatur qualiter laborator qui vineam conduxit, ſiue ad partẽ, ſiue ad medietatem tenetur eam colere, & de pena ſi ceſſabit laborare, niſi interueniente iuſta cauſa.

In ſeptimo aſsignatur quæ ſunt cauſæ propter quas excuſatur laborator, ſi non laborauit vineam, vt conuenit.

In octauo aſsignatur qualiter dominus poteſt uineam locatam alij locare, ſi conductor per annum eam laborare ceſſauit.

In nono

In nono aſsignatur qualiter conductor uineæ tenetur pro quolibet gognay annuatim ponere operarium pro gribenicis atq; pro cladis.

In decimo aſsignatur quomodo quouſq;, & quibus expenſis laborator vineæ tenetur in vuis, vel in vino partem Domino aſsignare.

In undecimo aſsignatur, quòd quicunque laborauerit, ſeu fecerit laborari alienas vineas, domino renũciare tenetur antequã vindimet per tres dies.

In duodecimo aſsignatur, quòd nullus poſsit in placito petere naulum alicuius beſtiæ perdite, niſi prius per Curiam ſententia feratur de valore beſtiæ pratij perdite.

In tertiodecimo aſsignatur in quibus caſibus tenetur ad reſtitutionẽ aĩalis ad naulum accepti, & in quibus non, ſi perierit, vel fuerit deterioratum.

In quartodecimo aſsignatur, quàm rationem reddere tenetur paſtor Domino de beſtijs minutis, & magnis perditis.

In quintodecimo aſsignatur, quòd paſtor rationem domino reddere teneatur de perceptis de ipſis beſtijs ſi fuerit à domino requiſitus.

In ſextodecimo aſsignatur, quòd domino beſtiarum, tribus uicibus in anno de præpaſſo agnis & lana à brauario, & paſtore inquirere rationẽ.

In decimoſeptimo aſsignatur quam pœnam ſuſtinere debet, qui terrã, vel vineam nõ coluerit, ut promiſit, uel aliud opus in ciuitate, vel extra.

In decimooctauo aſsignatur quam penam pati debet, qui promiſit laborare alicui ad diem in quolibet opere, & non laborauit.

In decimonono aſsignatur, quòd magiſtri murorum in ipſo laborerio permanere debent à mane, quando campana pulſatur propter operarios, & uſquequo pulſatur in ſero.

De iure emphiteotico, ſeu de iure quod acquiritur danti & recipienti poſſeſsiones aliquas ad paſtinandum, Titulus iſte continet ſeptem capitula.

In primo capitulo continetur, quòd nullus det terram ad paſtinandum minus, quàm ad quartam partem, & de pena dantis.

In ſecundo continetur, quòd paſtinator teneatur in circuitu vineæ quæ ſit vltra quatuor gognay plantare quatuor arbores oliuarum, & quatuor arbores mororum.

In tertio continetur qua penam ſuſtinere debet qui dederit terram ad paſtinandum minuſq; ad quartam partem.

In quarto continetur quomodo ruſticus emphyteota volens vendere iura ſua tenetur denunciare domino, & quæ forma debet obſeruari.

In quinto continetur quam penam qui vineam plantatam primo anno & ſecundo & tertio non laborauit, ut promiſit debet pati.

In ſexto continetur, quòd quicũq; paſtinauerit vineã ſuper terram alterius ipſam nõ debeat uindimiare, niſi per tres dies ante notificet domino.

In ſeptimo continetur quibus modis paſtinator dare debeat teraticum domino in vſis,uel in vino poſtulanti.

De feudis.Titulus iſte continet unum capitulum.

In iſto capitulo ſolo monſtratur, quòd quicunque acceperit poſſeſsiones in feudum à Comuni nõ poſsit eas alienare,ſed ſuis heredibus relinquere in vltima voluntate,& de fide facienda.Comuni per heredes.

De nuptijs,& quorum conſilio filij maſculi, uel femine debeant matrimonialiter alijs copulare.Titulus iſte continet iiij.capitula.

In primo capitulo inſtruitur,quòd filia ſub poteſtate patris exiſtens matre uiuente nupta fuerit preter conſenſum patris perdat partem,niſi per inſtrumentum iniuria ſit remiſſa & idem de filio.

In ſecundo inſtruitur, quomodo filius uel filia mortua matre in poteſtate patris exiſtens, vel mortuo patre ſit in protectione materna ſe valeat maritare.

In tertio inſtruitur qualiter filia ad viginti annorum etatem peruenta, ſi eam pater,vel mater neglexerit,maritare nubere poſsit.

In quarto inſtruitur, quòd mater tranſgreſſa ad ſecundas nuptias filios, uel filias primi viri abſq; ipſorum propinquorum nequeat maritare.

De iure dotium,& de iure bonorum,ſeũ rerum aquiſitarum vxori ex quacunque cauſa conſtante matrimonio,Titulus iſte continet octo capitula.

In primo capitulo habetur qualiter mulier per adulterium à viro ſeparata ex ſententia perdat dotem,& reconciliata viro recuperat.

In ſecundo habetur,quòd pater poſsit filiam maritare ad libitum cum dote, dummodo dos non aſcendat vltra quam ſibi in partem contigeret cum fratribus diuidendo.

In tertio habetur, quòd poſſeſsio nomine dotis inextimata viro data non poſsit alienari præter voluntatem maioris conſilij.

In quarto habetur,quòd nulla mulier in Sclauonia maritata poſsit habere partem bonorum parentum,niſi maritus Iadræ continue habitaret.

In quinto habetur,quòd quelibet maritata habens bona parafrenalia preter dotem vendendi,& uſufruendi plenam habeat poteſtatem.

In ſexto capitulo continetur,quòd vxor de bonis cauſa dotis viro aſsignatis quicquam alienare non poſsit viuente marito.

In ſeptimo continetur,quod inextimata poſſeſsio in dotem data prius per

Curiam extimetur quàm vir in eam edificet,uel plantet.

In octauo capitulo continetur, quod ſi uir ob reparationem vineæ,vel domus factam ſuper bonis vxoris inextimatis expenderit libras quinquaginta,vel minus nihil repetere poſsit abinde vltra,poſsit ſi cōſenſit vxor.

Qui filij ſunt legitimi,& qui non, Titulus iſte continet duo capitula.

In primo capitulo notificatur quomodo filius natus ante contractū matrimonium ex muliere & viro abſolutis legitimus habeatur.

In ſecundo notatur, quod per famam publicam aliquem fore alicuius filius comprobatur.

Per quas perſonas nobis acquiritur, ſeu de iure, quod patri acquiritur in rebus filijſamilie de relictis.Titulus iſto cōtinet vnū capitulum.

In iſto capitulo continetur de legato,ſeu dimiſſoria filiofamilie derelicta.

De teſtamentis,& quemadmodum teſtamēta debeant ordinari, Titulus iſte continet undecim capitula.

In primo capitulo continetur,quod cuicunq; liceat ſua propria manu ſcribere ſuum teſtamentum, & noto ſigillo ſigillare,ac deponere in locis in ſtatuto contentis.

In ſecundo notatur, quæ ſolennitas in teſtamento per tabellionem ſcripto iuſſu teſtatoris habentis in bonis libras centū, & ultra debeat obſeruari.

In tertio notatur,quod procuratores,iudices, & examinatores ſuum conſuetum ſigillum ſecum deferre tenentur.

In quarto notatur,quod duo teſtes ſufficiunt cum teſtator habens libras cētum,& abinde inferius vult condere teſtamentum manu tabellionis.

In quinto notatur de teſtamentis in Villa conficiendis,& eorum forma.

In ſexto notatur,quod breuiarium non poſsit derogare teſtamentum rite factum per ſtatuta.

In ſeptimo notatur cum minor habens quindecim annos poſsit condere teſtamentum.

In octauo notatur,quod mulier maior annis quindecim de repromiſſa poſſit condere teſtamentum.

In nono continetur,quòd nulla perſona ingreſſa Monaſterium poſt profeſſionem poſsit condere teſtamentum.

In decimo continetur,quod menorica ſuccedere poſsit in bonis paternis & maternis uſq; ad ſummam dotis quā haberet maritata.

In undecimo qualiter probibetur mentecapto condere teſtamentum.

De exhereditate liberorum. Continet iſte titulus duo capitula.

In primo monſtratur qualiter pater poteſt exheredare filios nuptos contra ſuam uoluntatem.

In ſecundo monſtratur, quòd ſi pater & mater in teſtamento de filijs contra ſuam uoluntatem nuptis non exheredauerit, nec heredes conſtituerit, excluſi eſſe intelligantur.

De codicillis, Titulus iſte continet unum capitulum.

In iſto capitulo docetur quomodo codicilli fieri debent.

De fidei comiſſarijs relictis in teſtamento, ſeu datis per Curiam, & de ipſorum officio, ſeu poteſtate, Titulus iſte continet vij. capitula.

In primo capitulo certificatur, quòd quilibet fideicomiſſarius, cuiuſcunq; conditionis iuriſdictioni domini Comitis ſubiacere tenetur.

In ſecundo certificatur, quòd Curia tenetur addere duos comiſſarios, comiſſario, qui temporalem iuriſdictionem derelinquit.

In tertio certificatur de inuentarijs conficiendis & forma.

In quarto certificatur, quòd mulier viduata, tranſiens ad ſecundas nuptias à comiſſaria excludatur, & duo addantur.

In quinto certificatur, quòd mortuo teſtatore comiſſarij hereditatem apprehendant & legata executioni demandent.

In ſexto certificatur, qualiter pecunia in hereditate dentur inuētam in collegantia per comiſſarios dari poſsit.

In ſeptimo certificatur qualiter tutores dari debent, ſeu comiſsarij pupillis non habentibus.

Quando aliquis dicitur decedere inteſtatus, Titulus iſte continet vnum capitulum.

In iſto capitulo continetur, quibus caſibus aliquis dicitur mori inteſtatus.

De hereditatibus quæ ab inteſtato deferentur, quibuſcunq; perſonis iure ſanguinis. Titulus iſte continet xiij. capitula.

In primo capitulo reperitur, qualiter filij mares, cum ſororibus, & ab ipſis deſcēdētes patre mortuo inteſtato ſuccedere debeant, & bona diuidere.

In ſecūdo capitulo reperitur, qualiter filie mortuo patre inteſtato, ſiue ſint uxorate, ſiue non, & partim vxorate, & ab ipſis deſcendentes ſuccedere

debeant,& bona diuere.

In tertio reperitur, quomodo aſcendentes ſuccedere debeant mortuo inteſtato abſq; deſcendentibus,& fratres defuncti ſi reſtant.

In quarto de ſucceſsione mulierum morientium ab inteſtato.

In quinto de ſucceſsione ſerui,vel ancille morientium ab inteſtato.

In ſexto qualiter plures fratres relicti ſuccedant fratri ab inteſtato defuncto, ſine aſcendētibus, & deſcendentibus, cum alio fratre commorante indiuiſo.

In ſeptimo qualiter menorica poſsit ſuccedere ab inteſtato patri & matri.

In octauo,quòd dimiſſoria relicta filiofamiliæ,ſine heredibus defuncto in patrem & matrem debeat peruenire viuentes.

In nono,quòd vxor ſuccedat viro defuncto abinteſtato,ſine heredibus aliquibus aſcendentibus deſcendentibus collateralibus & propinquis, & ſi vxorem non haberet Comune habeat ſuccedere.

In decimo qualiter,& propinqui,& qui ſuccedant illi qui monachalem habitum ſuſcepit ante profeſsionem nullo condito teſtamento.

In vndecimo continetur,qualiter Monachus profeſſus habens fratres ſuccedere debet patri defuncto ab inteſtato, & non habens fratres ſuccedere debet.

In duodecimo continetur,quod ſi quis verberauerīt patrem,vel matrē priuetur ab hereditate defuncti ab inteſtato, ſi Curiæ notum extiterit per parentem, niſi in patris gratiam ſit reuerſus.

In tertiodecimo continetur, quòd ex pluribus fratribus duo partes ſuas comunicent quorū alter decedat abinteſtato omnes fratres ſuccedant, niſi carta auiarie apparuerit.

De inuentario per heredes cuiuſcunque ſexus faciendo, Continet iſte Titulus unum capitulum.

In iſto capitulo continetur, qualiter heredes debent inuentarium infra ſexaginta dies facere.

De alimentis.Continet iſte Titulus unum capitulum.

In iſto capitulo continetur,qualiter alimenta vxori de bonis.q.viri ſui dari debeant,& èconuerſo.

De verborum,& rerum ſignificatione,Continet iſte titulus quatuor capitula.

In primo capitulo continetur licet per teſtantem generalis bailia comiſſarijs ſit conceſſa diſtribuendi pro anima & corpore, tamen intelligatur,

quòd non poſsint vendere, nec obligare poſſeſsiones,ſed fructus ſolummodo, niſi expreſſo mandato.

In ſecundo capitulo continetur, quod maſſariticum intelligantur omnia bona, Quibus ipſe teſtator utebatur in domo ſua ad comunẽ vſum præterquàm in auro, argento, & alijs, in ſtatuto contentis.

In tertio capitulo, quod ſi fiat mentio de goguay, vel gognam in aliqua uenditione vel locatione terræ, vel vineæ, quòd omnes goguay intelligantur xx. paſſus, per quamlibet partem.

In quarto capitulo continet, quòd ſi fiat mentio de his dictioni, ſi quis aliquis, quiſquàm, nequis, & unuſquiſq; intelligatur & femininum.

LIBER TERTIVS.

DE REBVS CREDITIS, ET DE MVTVO, SEV ACCOmodato, quod periculum qui auere ab aliquo recepit ſuſtinere debet, ſi non reſtituit ad terminum, vel non ſeruauit ordinem cartulæ, & ſi ſeruauerit cui accidit periculum, & ſi partem amiſiſſe uidetur. Cap. I.

SI receperit quis aliquod auere ab altero, & inde cartulam fecerit, neq; reſtituit ad terminum ſicut debuit, uel non ſeruauit ordinem cartulæ, & periculum ei accidit ſuum, erit periculum, & reſtituet auere creditori ſuo. Si uero ordinem cartulæ ſeruauerit, & periculum ei acciderit, erit periculum creditoris, & ille non tenebitur inde. Sed ſi obſeruando ordinem cartulæ partem amiſerit, & in reſiduo non obſeruat, in eo reſiduo ſolummodo periculum debet ſuſtinere.

Quod in quolibet mutuo, ſeu commodato teſtus cartulæ obſeruetur, niſi contra formam ſtatuti pœna conſiſtat. Cap. II.

Si aliqua perſona mutuauerit, vel accommodauerit rem aliquam, aut pecuniam alicui. Præcipimus, volumus, & mandamus, quòd teſtus cartulæ in omnibus, & per omnia plenariè obſeruetur, dum tamen in ipſa cartula nō ſit appoſita pœna maior, quàm ſit quarta pars debiti principalis. Nam ſi in ipſa carta eſſet appoſita pœna maior, Nolumus, quòd in pœna maiori te-

ſtus cartulæ habeat aliquam firmitatem, ſed in illo pluri teſtus cartulæ ipſo iure reprobetur omnino.

Quomodo aliquis cui res fuerit accommodata à commodante valeat conueniri. Cap. III.

Nolentes ex alterius obligatione, ſeu contractu neminem obligari, ſeu poſſe etiam conueniri. Statuimus, vt quicunque equum ſuum alicui accommodauerit, ſeu aliam quamcunq; rem, ſi ipſa res commodata ad alterum peruenerit quoquo modo. Nolumus, quòd ille cõmodator, ſeu qui rem accõmodauit rem cõmodatam ab alio poſsit petere tanquam commodatam, niſi ab illo, & ſuper illius bonis cui res ipſa fuerit accõmodata.

Qualiter teneatur ille qui accepit aliquod animal accommodatum ſi periculum ei acciderit, uel caſus fortuitus. Cap. IIII.

Dominus equi, ſeu alterius animalis cõmodauit equum ſuum, ſeu aliud animal alicui, ut iret ad Villam ſuam; dum eſſet in itinere, vel moraretur in Villa equus periit incendio, ruina, naufragio, vel celeſti fulgore, uel incurſu hoſtium, uel fuit pro aliquorum Iadrenſium repreſaleis interdictus, Nõ dico pro ſuis inſtat dominus animalis, & petit commodatum, ſeu extimationem animalis; dicit ille qui recepit equum, quòd non tenetur ad prædicta; eſt modo in queſtione qualiter ſuper hijs debeat iudicari. Et certe dicendum eſt, quod ſi ipſe qui recepit cõmmodatum ibat ad Villam deſtinatam, ſeu ad Villam pro cuius itinere petijt cõmodatum. Non teneatur de caſibus ſupradictis, vel aliquo prædictorum, ſi modo in re cõmodata talem & tantam curam, & diligentiam adhibuit, qualem adhibuiſſet in ſuo proprio animali. Verum ſi dum ipſe qui recepit deberet ire ad Villam unam ad alium locum iuit, uel in animali accõmodato curam & diligentiam non adhibuit, vt debebat, & illam quam in ſuis proprijs animalibus adhibebat, vel fuit in culpa propter quam aliquis ex prædictis caſibus contigiſſet. Certum eſt, quod ille qui recepit cõmodatum tenetur ad emẽdationem ipſius animalis in quolibet trium caſuum prædictorum.

Qualiter puniatur ille qui mutuauit aliquam pecuniam alicui ſeruo, uel ancillæ ſuper pignere, & qui luxit cum eiſdem. Cap. V.

Statuimus & ordinamus, quòd aliquis ciuis Iadræ, ſeu forenſis non debeat mutuare alicui ſeruo, vel ancillæ aliquam pecuniæ quantitatem ſuper aliquo pignere, nec præſumant etiam ludere cum eis ſupra aliquod pignus, vel ſine pignere ex quo ludo aliqua pecunia amittatur, & qui contrafecerit

omnia quæ eis mutuauit, uel cum eo luxerit perdat, & inſuper ſoluat Communi Iadræ pro banno quadraginta ſol. denariorum Venetorũ paruorum.

Quod in aliquo inſtrumento mutui,ſeu accommodati non poſſit adici maior pena quàm quarta pars mutui, ſeu accommodati perſiſtat. Cap. VI.

Iniquam quorundam creditorum extorſionem æquo libramine tollere cupientes. Volumus & auctoritate huius ſtatuti iniunginius & mandamus,quod aliquis creditor non poſsit adicere, ſeu apponere in inſtrumento cuiuſcunq; rei,aut quantitatis magnæ,vel paruæ maiorẽ pœnam, quàm ſit quarta pars illius rei,uel debiti, quæ, vel quod in inſtrumento comprehenditur, quam quartam partem nomine penæ poſitæ in inſtrumento poſſit creditor petere cum legitimis expenſis. Quod ſi de maiori pena creditor pactum fecerit. Volumus, quod nihil petere poſsit.

De pecunia data in collegantia,Continet iſte Titulus duo capitula. Cap. VII.

Bona fide abeſſe præſumitur,ſi de eo,quod comititur fidei alicuius probalis ratio non reddatur. Et ideo cum aliquis in rogadia, ſeu collegantia receperit pecuniam alicuius, & termino cartæ elapſo ad rationem creditori ſuo deueniat,ſeu peruenerit faciendam. Volumus, quod iſte talis,qui recepit pecuniã dare ſeriatim & diſtincte exprimat qualiter, & in quo,ſeu in quibus rebus receptam pecuniam inueſtiuit, & quando,& cui,& quantum res emptas de ipſa pecunia vendidit,& ſecundum quod ſeriatim,& per ordinem hæc omnia expreſſerit, ſic teneatur coram domino Comite, & eius Curia, per ſacramentum proprium affirmare.Si creditor qui pecuniam dedit hæc poſtulauerit,& requirat.Et ſi minus quàm fuerit data pecunia ĩ collegantia debitor aſsignauerit creditori,& ita aſsignauit damnum, ſiue perdeam,& nõ lucrum, exprimat debitor, ſiue monſtret quare talis minoritas,vel diminutio extitit ſubſecuta. Verum ſi creditor ſupradictæ pecuniæ vel heredes eius, ſeu alij ſucceſſores in premiſſo caſu probare uoluerint, quod aliud factum ſit,de ipſa pecunia,quàm aſſerat receptor pecuniæ antedictæ recipiantur probationes. Et ſi legitime,quod aſſeritur fuerit comprobatum procedat dominus Comes & Curia contra debitorem, ſecundum quod ex factis probationibus reperitur eſſe probatum, quod ſi probare noluerint, uel uoluerint, & non poterint per Curiam detur ſacramentum ſuper amiſsione huiuſmodi pecuniæ debitori, ſeu receptori, & quod iurauerit modis omnibus exequantur.

Quod

Quod nullus tenetnr ad reſtitutionem pecuniæ acceptæ in collegantiam, vel in rogadiam, ſi caſu fortuito perditam contigerit affuiſſe. Cap. VIII.

Si aliquis qui recepit pecuniã in collegantiã, uel in rogadiam naufragiũ paſſus fuerit, aut fuerit derobatus à latronibus, uel piratis, aut merces ex ipſa pecunia emptæ, ſeu ipſa pecunia impulſione ignis combuſtæ fuerint, & aliquis de prædictis caſibus per ipſum debitorem poterit comprobari, de rebus & pecunia taliter diſperſis, ſeu conſumptis ipſe debitor nullatenus teneatur.

De ſocietate. Titulus iſte habet vnum capitulum. Cap. IX.

Cum fidelis ſocietas ius fraternitatis ſoleat quodammodo optinere uigilanter decernimus ſtatuendum, ut quicunque repertus fuerit ſocio ſuo, cum quo ſocietatem iniuit ſuper ſocietate contracta dolum, ſeu fraudem commiſiſſe ſoluat pro banno ſoldos decem denariorum Venetorum paruorum in ratione libre, & pro qualibet libra de toto eo quod ipſam ſocietatem, vel repertus fuerit fraudaſſe. Et nihilominus quod fraudatum fuerit, uel ſubtractum per alterum ex ſocijs in comunionem, ſeu in comunem ſocietatem fraudator reducere teneatur. medietas cuius banni veniat in Comune, reliqua vero medietas perſonæ fraudatæ omnimodo applicetur. Verum ſi ipſe ſocius fraudator non poſſet ſoluere dictum bannum, luat, ſeu exequatur in corpore, quod ſubſtantie impoſsibilitas ſoluere non permiſit prout Curiæ, & domino Comiti qui pro tempore fuerit uiſum erit eſſe iuſtum, congruum, & honeſtum.

De depoſito. Continet iſte Titulus duo capitula, de periculo contingente illi, qui rem depoſitam non reſtituit, &c. Cap. X.

Si aliquis receperit rem alterius in depoſitum ad certum tempus vel terminum, & de ipſo depoſito factum fuerit publicum inſtrumentum, & ille qui recepit in termino in inſtrumento compræhenſo rem depoſitam non reſtituerit, & poſt terminum ipſa res depoſita in totum, vel pro parte petierit; de periculo contingenti teneatur ille, qui recepit, ſiue res in totum petierit, ſiue in partem. Si vero res depoſita ante terminum in inſtrumento appoſitum petierit periculum rei depoſite ſit creditoris, qui depoſuerit. Verum ſi ſine carta depoſitum factum fuerit & poſsit per teſtes tẽpus, ſeu terminus talis depoſiti legitime comprobari, idẽ per omnia eſt dicẽdum.

Quod domino rei depoſite in termino ſibi oblatione facta, & ſummere denegauerit, ſiue in totum, ſiue in partem res poſtea perierit ſit periculum deponentis. Cap. XI.

Si ille qui aliquam rem depoſuit rem depoſitam in termino ſibi oblatam noluerit recipere, & poſtea res illa perierit in totum, vel in partem periculum ſit creditoris deponentis.

Quibus ex cauſis, & quibus perſonis interdicatur ſuarum rerum alienatio. Titulus iſte continet octo capitula. Cap. XII.

Solet ſepe contingere, quòd iuuenilis etas contra propriam utilitatem proſiliens bonis ſuis terribiliter denudatur. Ideo prouidimus fauorabiliter ſtatuendum, quòd aliquis cuiuſcunq; conditionis, vel ſexus poſt mortem patris matre viuente, vel poſt mortem matris patre viuēte antequàm peruenerit ad etatem uiginti annorum non poſsit aliquid alienare de bonis pertinentibus ad hereditatem paternam, uel maternam, ac uiuentis in hereditatibus antedictis, nec aliquem contractum venditionis, ſuper ipſis bonis facere, vel inire, & ſi cōtra præmiſſa, vel aliquid præmiſſorum aliquid factum fuerit, vel præſumptum nullius ſit valoris. Nec ille qui recepit contractum aliquā occupauerit ex eo obligationem actionē, vel vtilitatem, niſi forte iſta talis perſona quæ fuerit minor viginti annis ſuper prædictis rebus contraxerit in caſu, ſeu caſibus ſibi conceſsis per patrem, vel per matrē in teſtamento, ſeu alia ultima voluntate eorum, uel niſi forte putauerit contrahendum pro iminenti ſibi neceſsitate, uel euidenti ſua vtilitate. Tunc enim quando vtilitas, vel neceſsitas eſt euidens & apparens huiuſmodi minores poterunt contrahere ſuper ipſis rebus de duorum ſibi proximiorum obtento conſilio, ac interueniēte domini Comitis & ſue Curiæ conſenſu, & auctoritate, & ualebit obligatio, & cōtractus habebit pleniſsimā firmitatē.

Quod nullus audeat contrahere cum aliquo mentecapto facta cridatione quod talis eſt mentecaptus. Cap. XIII.

Præſenti ſtatuto obſeruari mandamus, quòd ſi in præſentia domini Comitis & ſuæ Curiæ probatum fuerit fore aliquem mentecaptum. De mandato ipſius domini Comitis, & Curiæ voce præconia publice proclametur per terram, quòd talis eſt mentecaptus, & quòd nullus audeat contrahere vel quomodolibet cum ipſo mercari. Demum ſi aliquis poſtmodum contractum aliquem, uel forum fecerit cum ipſo non teneat, nec ipſo iure habeat aliquam firmitatem.

Quibus perſonis & locis bona immobilia uendi, & in teſtamento legari prohibentur,& de pena contrafacientium & Notarij & Examinatoris. Cap. XIIII.

Statuimus,quòd nullus Iadratinus,ſeu Iadrenſis diſtrictus uendere audeat, uel donare, aut quocunque titulo,vel contractu transferre in aliquod Monaſterium, uel locum religioſum,aut in aliquem monachum, vel monacam,ſeu religioſam,aut eccleſiaſticam perſonã aliquas res immobiles, ſeu poſſeſsiones de Iadra,uel de Iadrenſi diſtrictu, nec etiam valeat,ſeu poſsit eaſdem res relinquere in ultima volũtate eiſdem perſonis & locis ſuperius interdictis.Ceterum ſi aliquis tabelio repertus fuerit tante præſumptionis, quòd inſtrumentum,ſeu teſtamẽtum aliquod fecerit in quibus contra prædicta res ſtabiles,ſeu immobiles, dentur, alienentur, ſeu etiam relinquantur perſonis, aut locis ſuperius interdictis perpetuò perdat penam, nec ad aliquod officium ciuitatis in poſterum eligatur. Nec etiam examinator inſtrumento,ſeu teſtamẽto ſuperius interdicto ponere audeat manum ſuam,quod ſi poſuerit de officio expellatur, & perpetuò ineligibilis ſit factus,ſeu non poſſit deinceps eligi ad aliquod officium ciuitatis. Et nihilominus quecunq; perſona fuerit, quæ ſecus fecerit alienando,uidelicet, vel relinquẽdo res immobiles perſonis,aut locis ſuperius interdictis teneatur, ſi uiuit,uel heres eius,ſi mortuus eſt infra duos dies præterquàm hoc peruenerit ad notitiam Curiæ dare Comuni Iadræ duplum ualoris rei immobilis uẽdite,vel relictæ perſonis,ſeu locis ſuperius exceptatis,quod ſi nõ dederit dominus Comes & Curia teneantur eum, uel eos capi facere perſonaliter, ac in carcerem detrudi,uſq; ad ſatisfactionem plenariam & condignam omnium prædictorum.Niſi forte aliqua perſona uoluerit relinquere,uel donare res immobiles hoſpitali ſancti Martini quod eſt Comunis Iadræ,aut prædictos contractus ſuper rebus ſtabilibus facere cum eodẽ,tunc enim licentur volumus & gratanter merito acceptamus, quòd cuilibet licitum ſit de ſuis rebus ſtabilibus facere,uel largiri loco,& hoſpitali prædicto,pro libito uoluntatis non propter hoc tabelio,vel examinator, ſeu ipſa principalis perſona ſe prædictas penas timeant incurriſſe,ad penam autem huius ſtatuti teneri nolumus Iadratinos parentes,qui filijs ſuis clericis,ſecularibus uendunt,donant res ſtabiles,ſeu immobiles,uel hereditatem totam,uel partem eius relinquunt in ultima voluntate. Si ipſam uenditionẽ fecerunt,vel ipſam hereditatem, ſeu partem eius relinquerunt filio eorum, vel filijs clericis ſecularibus tali pacto, & conditione appoſitis in contractu teſtamento,ſeu alia vltima voluntate,ut pro re immobili,ſeu ſtabili donata vel uendita,uel pro rebus immobilibus in totali hereditate, uel parte eius repertis debeant perpetuò portare ac ſuſtinere onera, ac factiones Comunis Iadræ,atq; de ipſis rebus ſtabilibus,ſeu immobilibus cuilibet reſpondere coram domino Comite,& eius Curia. Quod ſi aliquis aliter alienaue-

rit,vel relinquerit incurrat eam ipſe teſtator & alienator,quàm heres eorũ, & tabelio penas clarius & ſeriosius in ſuperioribus enarratas.Idem in omnibus,& per omnia intelligimus fore ſtatutum, ac volumus locum habere, & inuiolabiliter obſeruari. Quando aliquis clericus ſecularis acquiſierit ab alio,quàm à patre rem aliquam ſtabilem,ſeu immobilem, videlicet, vt poſsit illam acquirere per uenditionem, donationem,tranſactionem, permutationem,legatum,hereditatem,ſeu partẽ eius,vel quocunq; alio modo pactis,& cõditionibus ſupradictis,& illa perſona extranea quæ ipſas res ſtabiles, ſeu ĩmobiles dederit clericis, ſecularibus ex aliqua cauſa prædictarũ poſsit ſine aliqua pena,& iuris offenſa dare,& prædictos contractus, vel aliquã eorum cum clericis ſecularibus celebrare dum tamen apponat conditiones ſuperius declaratas.

Qualiter res mobiles,uel ſe mouentes poſſunt uendi, donari, & in teſtamento relinqui Monaſterijs, & Monachis, & Eccleſiaſticis perſonis. Cap. XV.

Ne domini Canonici,ſeu Monachi,vel Eccleſiaſtice perſone,ſeu religioſe defraudentur,ſeu totaliter repellantur,& ne ciues noſtri Iadrenſes perſonas, ſic pias,& eorum loca deſerere videantur. Volumus,& huius ſtatuti præſidio fauorabiliter toleramus, quòd quecunq; perſona voluerit alicui Monaſterio,ſeu loco religioſo,aut Monaco ,ſeu Monache,uel religioſe, aut eccleſiaſtice perſone inter viuos donare,ſeu uẽdere,vel relinquere in vltima voluntate,aut quocunq; alio modo alienare in loca, & perſonas prædictas aliquas mobiles,vel ſe mouentes,aut aliquam pecunie quantitatem,hoc licite facere poſsit,& remaneat in eius libera voluntate,ſine aliquo huius ſtatuti obſtaculo, ſeu pena.

Quod orphanus patris & matris regimine denudatus ante completam etatem quindecim annorum nullo modo poſsit ſe obligare, niſi ex eminenti utilitate,& tunc de conſilio duorum,ſibi proximiorum optento conſilio & Curiæ auctoritate. Cap. XVI.

Quia orphanis ſine patris, & matris ſuffragio derelictis iura comunia multipliciter ſubueniunt. Ideo fauorabiliter ordinamus prouidere, quod aliquis cuiuſcũq; ſexus exiſtat patris & matris regimine denudatus prinſquam compleuerit etatem quindecim annorum, non poſsit deinceps cum aliquo contrahere, vel ſe modo aliquo obligare. Niſi forte ipſe orphanus, qui caret patre & matre, putauerit contrahendum pro iminenti ſibi neceſſitate & euidenti ſua utilitate. Tunc enim poſsit de duorum ſibi proximiorum obtento conſilio,ac interueniente domini Comitis,& ſue Curiæ conſenſu,& auctoritate; in quo caſu ualeat obligatio & contractus pleniſsimã

habeat firmitatem. Quod ſi contra hoc orphanus ſe obligauerit quod factum fuerit nullius ſit ualoris, & talis obligatio & contractus nullam habeat firmitatem.

Quod nullus Iadratinus audeat emere,vel in pignus accipere ab aliquo forenſi,nec à ciue,aliquam rem, ſeu terram litigioſam ſuper qua motum ſit litigium & quantitas penæ. Cap. XVII.

Vt omnis materia futuræ queſtionis radicitus præcludatur. Volumus & mandamus,quòd aliquis Iadratinus non poſsit deinceps ab aliquo emere,vel in pignus accipere ab aliquo hoſpite, ſeu forenſi,aut etiam ab aliquo Iadratino aliquam rem,ſeu terram litigioſam ſuper qua iam motum ſit litigium,quæſtio,ſeu placitum,quòd ideo eſt ſtatutum,ut omnis altercandi, ſeu placitandi materia inter conciues noſtros Iadræ penitus euitetur. Quod ſi aliquis contra præmiſſa faceret, vel aliquod prædictorum perdat pretium pro quo emit,vel pro quo recepit in pignere rem prædictã, & perdat expenſas ſi quas fecit in ipſa re,& nihilominus ſoluere teneatur pro bãno Comuni Iadræ libras quinquaginta denariorũ Venetorũ paruorum.

Quod nulli perſone Monaſterium ingreſſe ante profeſsionem nullo condito teſtamento de ſuis bonis immobilibus diſponendi quo quomodo ſit attributa poteſtas,& in quos debeant deuenire. Cap. XVIII.

Si aliqua perſona monaſterium iam ingreſſa nullum fecerit teſtamentũ, uel alienationem aliquam de bonis ſuis ante profeſsionem ſuam. Nolumus quòd habeat poſtea aliquam poteſtatem de ipſis bonis aliquid diſponẽdi, uel alienandi inter uiuos,ſeu in vltima voluntate, ſed bona ſua omnia immobilia,ſeu ſtabilia ad heredes & propinquiores ſuos,qui aliter ſibi ſuccederent ab inteſtato deueniant pleno iure. In ceteris uero bonis mobilibus, & ſe mouentibus iuribus, & actionibus debitorum tale Monaſterium in quo intrauit habeat portionem qualem unuſquiſq; ex filijs iam profeſsi, ſi uero idem profeſſus in monaſterio filios non haberet, vel aliquos propinquos,uſq; ad quartum gradum bona omnia mobilia, & ſe mouentia iura, & actiones tãquam ab inteſtato ad monaſterium perueniant quo intrauit, ſtabilia autem bona ad Comune Iadræ deueniant pleno iure.

Qualiter Pizocharæ,ſeu menorice vendendi,& teſtandi libertas conceſſa,& prohibita conſiſtat. Cap. XIX.

Quouis Pizochara,ſeu menorica habeat pleniſsimam poteſtatẽ vendendi,obligandi,alienandi,& pro anima iudicandi de bonis ſuis, tam inter vi-

nos quàm in ultima voluntate, prout ſibi placuerit. Dum tamen non uendat, non obliget, non alienet, non pro anima iudicet perſonis, & modis prohibitis per capitulum poſitum ſupra eodem Titulo capitulo ſtatuimus, ſed modis, & perſonis ibidem permiſsis valeat facere quòd intendit.

De rebus alienis non alienandis, & de prohibita alienarum rerũ alienatione. Titulus iſte continet tria capitula. Cap. XX.

De filijs maſculis vel fœminis vxoratis, vel non, extra poteſtatem patris uiuentis manentibus, uel mortuo patre extra protectionem dominium, ſeu defenſionem maternam exiſtentibus ſalubriter decernimus ſtatuendum, vt nullo modo poſsint de bonis maternis, vel paternis ipſorum patre, vel matre uiuentibus quicquam alienare, vendere, vel donare, vel quomodolibet obligare ex quacunq; cauſa, uel contractu contra uoluntatem patris, vel matris eorum, & ſi quis contrafecerit non ualeat, nec teneat quod factum fuerit, immo nullius cenſeatur eſſe momenti. Ita quòd ſi etiam poſt mortẽ patris ex tali obligatione, uel contractu celebrato, ſine patris vel matris licentia, & conſenſu, quiſquam cuiuſcunq; conditionis, vel ſexus extiterit voluerit quicquam petere non poſsit, ſed ipſa obligatio etiam poſt mortem eorum nullius ſit ualoris & omnino inualida cenſeatur.

Quod ſeruiens mercenarius ſeruus & ancilla de rebus domini nullo modo poſsint uendere, uel obligare præter domini uoluntatem. Cap. XXI.

Sepe repertum eſt domeſticarum perſonarũ dolum & malitiam redundare in detrimentum maximum dominorum, Et ideo uolumus, præcipimus, & mandamus, quòd quicunq; ſub poſitus fuerit ſub dominio poteſtate, ſeruitio, uel familia alicuius, ſiue ſit ſeruiens mercenarius, ſiue ſeruus, uel ancilla, ſiue alius cuiuſcunq; conditionis, ſexus, uel ætatis, non poſsit de rebus domini aliquid uendere, donare, permutare, obligare, qualitercunque alienare abſq; domini ſui ſub quo eſt licentia petita, habita, & conceſſa, qui uero contra predicta, uel aliquod prædictorum fecerit ille qui accepit res ipſas ex cauſis ſupradictis, vel aliqua predictarum eis reſtituere domino compellatur, ſi ipſe dominus iurare voluerit preter ſuam uoluntatẽ ipſas ſuas res permutatas eſſe pignoratas, alienatas, uenditas, vel donatas.

Quod pater in dimiſſoria relicta, filio, uel filiæfamilias fruges percipere liceat, dum tamen non alienet eandem, & quomodo compellitur ad reſtitutionẽ, ſi alienauerit. Cap. XXII.

Cum pater in dimiſſoria relicta filio,vel filiæfamilias habere debeat ius utendi,& fruendi tantûmodo auctoritate huius ſtatuti interdicimus ipſi patri,ne ipſam dimiſſoriam,ſeu legatum diſtribuere alienare, ſeu quomodolibet obligare præſumat,ſed illud legatum,ſeu dimiſſoriam, ſi extat non alienatum, uel tantum quantum ualebat comuni extimatione non quantum fuit venditum, ſi fuerit alienatum reſtituere filio compellatur, ſine queſtione aliqua & querela.

De rebus Eccleſiæ non alienandis. Cap. XXIII.

Scriptũ legibus reperitur,quòd ſicut beatisſima Eccleſia mater religionis, & fidei eſt perpetua,&debet in poſterũ eternaliter perdurare,ita eiuſdẽ Eccleſiæ patrimoniũ iugiter ab omnibus obſeruari debet illæſum: quia quod ſemel Deo datum eſt ad humanos uſus,non eſt vlterius transferendum. Et ideo ſtatuimus, & firmiter ordinamus, quòd omnia bona immobilia Archiepiſcopatus Iadrenſis,ſeu monaſteriorum, uel aliarum regularium Eccleſiarum Plebiũ,uel Parrochialium Eccleſiarum Iadræ, uel eius diſtrictus ſiue curam habeant animarum,ſiue non,non poſsint alienari, obligari, ſeu quocunque modo alio titulo in alium transferri. Si quidem fuerint bona illa Archiepiſcopatus,ſine uoluntate,& conſenſu capituli, & aduocati Archiepiſcopatus,& etiam domini Comitis,& eius Curiæ. Si uero ipſa bona fuerint aliorum monaſteriorum Iadræ, uel eius diſtrictus non poſsint in alium tranſire,niſi cum auctoritate domini Archiepiſcopi,Abbatis,uel Abbatiſſæ, aut cum conſenſu fratrum,vel ſororum dicti loci,& aduocati illius Monaſterij,& domini Comitis,qui pro tempoꝛe fuerit,& Curiæ ſuæ. Sed ſi bona illa fuerint Plebium,vel aliarum Parrochialium Eccleſiarum non poſſint in alium transferri,ſine conſenſu Parrochianorum eiuſdem Eccleſiæ, & auctoritate domini Archiepiſcopi Iadrenſis, & de uoluntate domini Comitis, qui pro tempore fuerit,& eius Curiæ. Verum ſi præmiſſa omnia, vel aliquod præmiſſorum fuerint pratermiſſa,ſeu non fuerint in omnibus, & per omnia obſeruata non ualeat, quod factum eſt; Immo ipſo iure ipſa alienatio,ſeu rerum Eccleſiaſticarum translatio ſit inualida, & nullius valoris penitus cenſeatur.

MILLESIMO TRECENTESIMO QVINTO, Indictione tertia, die mercurij nono, Menſis Iunij.

CONGREGATO maiori Conſilio Ciuitatis Iadræ, ſono campanæ,& uoce præconum more ſolito conuocato de mandato egregij viri domini Ioannis Superantij honorabilis Comitis Iadræ in quo quidem Conſilio erant homines nonagintaunus, propoſitum fuit in eodem Conſi-

lio,ſi uidetur conſilio ſupradicto,& conſiliarijs in eodem conſilio exiſtentibus,quòd præſcriptio poſſeſsionũ Comunis Iadræ quæ ſunt in Syminick, & quæ dicuntur teneri ab aliquibus perſonis,non ſit incurſa contra Comune Iadræ,uſq; nunc,& quòd hoc ponatur in ſtatuto Comunis Iadræ, & poſito partito ad piſcides,& balotas,de non fuerunt xiiij.non ſinceri vj.& capta fuit pars per reliquos lxxi. quòd dicta præſcriptio non ſit,nec eſſe poſſit incurſa , vt ſuperius dictum eſt.

De emptione & uenditione, & qualiter venditor emptori obligetur,& ècontra. Cap. XXIIII.

Quia ſolitum eſt eorum qui in ſcriptis reducuntur facilius reminiſci, ſeu recordari,quàm eorum quæ ſiunt in preſentia quorumcunq; , ideo firmiter ordinamus,ut quicunq; voluerit vendere vineam,domum, ſeu quãcunq; aliam poſſeſsionem,ſi predicta venditio fuerit à decem libris denariorum Venetorum paruorum ſupra,fiat de ipſis publicum inſtrumentum manu tabellionis Iadrenſis,quòd ſi obmiſſum fuerit,ſeu non factum publicum inſtrumentum,talis venditio de maiori ſumma decem librarum nullius ſit valoris. Quæ omnia locum habere volumus, non ſolũ in contractibus factis in ciuitate Iadrenſi,ſed etiã ſi ipſos contingat fieri in diſtrictu.

De forma & modo arrarum datarum cauſa alicuius rei emptæ,& uenditæ. Cap. XXV.

Moleſte gerimus ſi id quod verbis promittitur operibus nõ impletur,& ideo ſi aliquis uendiderit alicui rem aliquã mobilem, vel immobilem pro certa quantitate pecuniæ,& emptor dederit arras venditori,ſiue aliquo arrarum nomine,& aliquis contrahentium,ſiue ſit emptor,ſiue venditor,velit recedere à contractu,ac ipſum peniteat contraxiſſe,poſtquàm ipſa uenditio fuerit celebrata. Volumus, & mandamus, quòd is qui recuſat complere contractum,ſi quidem emptor eſt perdat quod dedit nomine arrarũ, ſi uero uenditor eſt duplum reſtituere compellatur eius rei,uel quantitatis quæ data fuerit nomine arrarum. Niſi forte uenditio rei mobilis fuerit de viginti libris denariorum Venetorum paruorum, vel abinde inferius deſcendendo,uſq; ad quantamcunq; paruam quantitatem,tunc enim ſi talis venditio fuerit facta in Iadra,uel eius diſtrictu,& datum fuerit,aliquid nomine arrarum,teneat modis omnibus,& valeat ipſa uenditio,& compellatur uenditor per dominum Comitem, & eius Curiam tradere rem venditam emptori,& emptor dare compellatur prætium conuẽtum uẽditori.

De pœna ultra prætium rei emptæ exhibenda venditori,ſi emptor data arra moram protraxerit in ſoluendo. Cap. XXVI.

Cum

Cum ſæpe contingat, quòd uenditor poſt receptas arras, uel nõ receptas ſtatim tradit rem uenditam, & emptor negligit ſoluere prætium quod conuenit. Si res fuerit minoris prætij vendita viginti ſolidorum paruorum, Volumus quòd pro quolibet die quo ipſe emptor fuerit in mora ſoluere prætium compellatur dare venditori nomine penæ ſolidos tres denariorũ Venetorum paruorum vltra prætium emptæ rei. Si uero res mobiles uendita fuerit ultra prætium ſolidorũ uiginti, Volumus quòd teneatur emptor dare uenditori nomine penæ vltra prætium rei emptæ ſol. quinque pro qualibet libra prætij rei uendite, pro quolibet die, quo emptor fuerit in mora dare prætium quod conuenit nomine rei emptæ.

De libera poteſtate, cuilibet vendendi bona ſua conceſſa pro libito uoluntatis, reſeruata forma ſtatuti. Cap. XXVII.

Volumus et cuicunq; concedimus liberam poteſtatem vendendi domũ ſuam, vineam, poſſeſsionem, & omnẽ aliam quamcunq; rem, mobilem, uel immobilẽ, aut ſe mouentẽ cuicũq; uoluerit pro libito uoluntatis nõ obſtante aliqua conſuetudine quocunq; tẽpore in contrariũ obtenta. Dum tamẽ emptor, & uẽditor nõ prohibeantur per ſtatuta aliqua predictũ inire contractũ, nec fiat ſuper re prohibita, uel perſonis prohibitis in ſtatutis.

Quod quaterno mercatoris de drapparia, à libris decem ſupra, in credentia data, fides non adhibeatur, niſi debitor ſua propria manu ſcripſerit in quaterno. Cap. XXVIII.

Salubriter duximus ordinandum, quòd quaterno alicuius mercatoris de ciuitate Iadræ fides aliqua nõ debeat adhiberi de uenditione facta ad credentiam à libris decem ſupra, quod ſtatutum locum habere, Volumus, & mandamus in mercatoribus de drapparia tantum ut credatur quaterno eorum, uſq; ad quantitatem librarum decem, & non ultra. In quaternis autem aliorum mercatorum nulla fides habeatur, etiam ſi de paruiſsima quantitate ſcripſerint uenditionem ad credẽtiam ſe feciſſe; eo ſaluo quòd ſi ille qui accepit ad credentiam, ſeu emit, ſcripſerit de ſua propria manu in quaterno mercatoris aliquid accepiſſe, tali ſcripturæ fides pleniſsima habeatur quantumcunq; ſcripſerit maximam quantitatem.

De modo & forma vendendi ius, quod quis habet cum robore & uigore. Cap. XXIX.

Quicunq; voluerit uendere ius quod habet contra alium per publicum inſtrumentum cum robore & uigore, & dicatur, quòd in ipſa uenditione conſenſus, interuenerit debitoris. Volumus, quòd in inſtrumento roboris

& uigoris contineatur expreſſe, quòd uenditio facta fuerit de uoluntate ſpontanea debitoris. Tunc enim ſi ipſe debitor non ſatisfecerit emptori de ipſo debito ad terminum in inſtrumento contentum, cadat in penam in inſtrumento debiti comprehenſam. Si uero dictæ uenditioni conſenſus nõ acceſſerit debitoris, nolumus debitorem incurrere penam in inſtrumento contentam, ſi non ſatisfecerit emptori in termino debiti principalis: Saluo tamẽ, quòd de expenſis factis in cauſa ſatisfacere plenarie cõpellatur.

Quod nulli ciui liceat emere à forenſi roborem, & uigorem, contra aliquem ciuem Iadræ præterquàm à Veneto. Cap. XXX.

Litigia & altercationes inteſtinas volentes inter conciues noſtros modis omnibus euitare ſatis ſalubriter prouidimus ſtatuendũ. Quod aliquis ciuis Iadrenſis nõ poſsit emere ab aliquo forenſi roborem & uigorem, ſeu iura & actiones contra aliquem ciuem Iadræ, & quicquid autem contra hoc factum fuerit ipſo iure nullius ſit valoris, nec etiam talis emptor ius aliquod habeat poſtulandi. Ita tamen, quòd ciues Venetorum in caſu huius ſtatuti nullatenus intelligantur eſſe forenſes.

De rebus & poſſeſsionibus uendendis ad incãtum, & qualiter emptor talium rerum ualeat eſſe ſecurus. Cap. XXXI.

Hoc conſultiſsimo prohibemus edicto, ne poſſeſsio aliqua cuiuſcunque perſonæ, nel res mobilis poſsit, ſeu debeat incãtari, uel etiam deliurari, niſi per debito euidenti. Item pro dote vxoris, Item pro paupertate, Item pro condemnatione publica, uel priuatæ perſonæ, Item pro legato, ſeu dimiſſoria, & ſi per alia cauſa facta fuerit incantatio, ſeu deliuratio, cuiuſcunq; rei mobilis, ſeu ſtabilis nulla ſit ipſo iure, nec perpetuò habeat aliquam firmitatem.

Solemnitas quæ in incantu debet ex neceſſario obſeruari, ut emptor ſit ſecurus. Cap. XXXII.

Sanè, quia poſſent aliqui probabiliter dubitare, quæ, & qualia requirantur ad hoc, vt emptor poſſeſsionis emptæ ad incantum valeat, debeat, & poſsit eſſe ſecurus ſiue illa poſſeſsio uendatur pro debito euidenti, ſiue pro dote vxoris, ſiue pro paupertate, ſiue pro condemnatione publica, uel priuatæ perſonæ, ſiue pro legato, ſeu dimiſſoria; prouide putauimus hanc dubitationem preſentis ſtatuti oraculo reſerare, ſeu lucide aperire. Volumus enim quòd cum alicuius poſſeſsio uenditur ad incantum ſeptem interuenire debere ad hoc, ut ille qui emit, poſsit, & ualeat eſſe ſecurus. Primum

eſt quòd ille qui vult vendere rem aliquam, ſtabilem, ſeu immobilem ad incantum ex cauſis antedictis fuerit in poſſeſsione rei ſtabilis vendendæ ad incantum tempore principij incantus. Item toto tempore quo ſit incantatio. Item tempore faciendæ deliurationis. Secundum eſt, quòd ille, qui vult poſſeſsionem uendere ad incantum, uadat coram domino Comite, & eius Curia, & portet, ac preſentet eidem vnam cedulam, in qua ſcripta ſit poſſeſsio, quæ uendi debet ad incantum, cum nomine noto, & quatuor confinibus confinata, & tunc dominus Comes, per ſeipſum, vel per unum de iudicibus ſuis, uel per Curiam, diligenter poſtulet, & inquirat ab illis qui habent prædia, ſiue poſſeſsiones in confinibus data, vtrum poſſeſsio, quæ uendi debet ad incantum ſit taliter confinata, prout data fuit ipſi domino Comiti, & ſue Curiæ. Tertium debet interuenire, quòd ſi poſſeſsio reperiatur, taliter confinata, tunc dominus Comes, & eius Curia concedat eidem cuius poſſeſsio eſt uendenda vnum miniſtralem, vel ſi eſt poſſeſsio, quæ dari debeat in pagamento, tunc dominus Comes per ſe, & eius Curiam, & ex officio ſuo ad petitionem actoris cōmittat uni miniſtrali cridam poſſeſsionis vendendæ ad incantum, vel dandæ in pagamentum, & confinatæ in vna cedula cum quatuor veris confinibus, & iſtæ tales poſſeſsiones vēdendæ ad incantum cridentur per ipſum riuarium alta uoce, per unum menſem omni die ipſius menſis bis in die, quando lozia eſt plenior, & riuarius qui cridat poſſeſsionem ſemper teneatur habere in manu cedulam in qua ſit ſcripta uendenda poſſeſsio, cum quatuor confinibus confinata.

Quartum eſt, quòd eodem modo cridentur poſſeſsiones uendendæ ad incantum per Eccleſias fratrum minorū prædicatorum, ſancti Nicholæ, ſanctæ Anaſtaxiæ, ſancti Criſogoni, & ſancti Petri de plaza in omnibus diebus Dominicis ipſius menſis, de mane, in miſſarum ſolemnijs, quando ipſe Eccleſiæ ſunt magis plenæ populo. Quintum eſt, quòd in fine menſis antequàm poſſeſsio alicui deliuretur, debeat Curia notificare, ſeu notificari facere illi cuius poſſeſsio eſt vendenda, ſi poterit inueniri, quòd vult tali die poſſeſsionem cridatam in lozia, & per Eccleſiam vendere, & deliurare ad incantum, ſed ſi non poterit inueniri, ſufficiat, ſi cridetur modo prædicto, ante hoſtium domus habitationis eiuſdem. Sextum eſt, quòd poſſeſsio ſic incantata, uēdatur, concedatur, ſeu diliuretur de præcepto, ſeu mādato domini Comitis & Curiæ publicæ in platea Comunis Iadræ, uel in lozia in diebus Dominicis tantum, vel in diebus feſtiuis, ſeu feriatis, & nō alijs, coram uno ſaltem de iudicibus Curiæ illi emptori qui ipſam poſſeſsionem incantauerit, & plus obtulerit in incantu. Septimum eſt, quòd de ipſa deliuratione mandetur fieri publicum inſtrumentum per dominum Comitē, & Curiam, & quòd contineatur in inſtrumento deliurationis nomen Iudicis coram quo ipſa poſſeſsio per incantum fuerit deliurata. Quibus omnibus ſic concurrentibus ſeptem, & interuenietibus emptor, qui emit ipſam poſſeſsionē ſit omnino ſecurus, nec aliquis poſsit perpetuò ab ipſo empto-

re euincere, ſeu tollere ipſam poſſeſsionem compratam ſic ſolemniter in incantu aliqua ratione, uel cauſa præterquàm in caſibus,& in perſonis, ac temporibus in inferiori capitulo comprehenſis. Verum ſi aliter,& non ſeruata ſupradicta ſolemnitate cuiuſcunque poſſeſsio,ſeu res ſtabilis incantetur ipſa incantatio nulla ſit ipſo iure, ac nulli perpetuò poſsit, ſeu debeat præiuditium generare,nec ius aliquod poſsit alicui acquirere, immo ille, qui prius dominus erat poſſeſsionis non ſolemniter incantatæ poſsit libere ſine iuris offenſa vti poſſeſsione ſua,ut prius.

Quorum poſſeſsiones uendi non poſſunt ad incantum. Cap. XXXIII.

Quamuis regulariter uenditio rei ſtabilis,ſeu immobilis uenditæ ad incantum plenam obtineat firmitatem,ac faciat ſecurum emptorem,ſi ſecundum tenorem & formam ſupradicti capituli,ſeu ſtatuti uenditio fuerit deliurata, tamen neceſſario prouidendum occurrit quibuſdam perſonis & rebus ſtabilibus,quibus non nocet quandoq; in continenti: ſed poſt tempora limitata, quandoq; in perpetuum facta deliuratio in incantu,ut ecce primus caſus eſt. Si res uendita ad incantum ſit alicuius pupilli qui temporibus factæ cridationis & deliurationis non habuerit tutorem,uel curatorē, ſeu comiſſarium generalem omnium bonorum cui tali pupillo nō noceat, nec poſsit aliquod præiuditium generare facta tempore pupillaris ætatis poſſeſsionis eius venditio, ſeu deliuratio ad incantum,imo poſſeſsionem ſic uenditam ad incantum,& rem immobilem qualemcunq; poſsit ipſe recuperare uſq; ad quintum annum poſtquàm ætatē exiuerit pupillarē. Sed ſi habuerit perſonas,ſeu defenſores ſupradictos non obſtante pupillari ætate teneatur uenditio,ſeu deliuratio cuiuſcunq; rei ſtabilis, ſeu poſſeſsionis pupillaris,quæ facta eſſe dicitur ad incātum, & tunc de omni damno quod contingeret eidem pupillo propter talem venditionem, habeat, & habere poſsit regreſſum contra prædictos ſuos defenſores totaliter,& in totum. Secundus caſus eſt cum maritus vxoris ſuæ poſſeſsionē,ſeu rem ſtabilem vendiderit ad incantum,ſeu vendi per alium paſſus fuerit,tunc enim talis uenditio facta uiro uiuēte non obeſſet vxori, quinetiam poſt mortem uiri per unum annum,ipſa vxor poſsit recuperare,ſeu reuocare eandem, ſed ſi ipſa uxor moriretur ante uirum, heredes,ſeu ſucceſſores uxoris, ſi illam talem venditionem putauerint fore vtile reuocare, infra annum ipſam reuocent poſt mortem defunctæ perſonæ, poſt dictum autē tēpus anni nec ipſa vxor ſi uiueret,nec ſucceſſores,ſeu heredes ipſius ea mortua audiantur ad recuperationem poſſeſsionis ipſius uenditæ ad incantum. Tertius caſus eſt, quando poſſeſsio alicuius mentecapti non habentis filios legitimæ ætatis, uel aliquem curatorem eſſet uendita ad incantum,tunc enim uēditio poſſeſsionis mentecapti non noceat eidem, donec in eo durauerit infirmitas

antedicta, nec poſtquàm fuerit perfectè liberatus vſq; unum annum, poſt annum autem iſte q. mentecaptus nunc ſanatus, nullatenus audiatur ad recuperationem poſſeſsionis uenditæ ad incantum. Quartus caſus eſt, ſi alicuius furioſi poſſeſsio eſſet vendita ad incantū, tunc enim in iſto furioſo omnia locum habere, & ſtatuta eſſe intelligantur, quæ ſupra proxime in mẽtecapto, & eius poſſeſsione reperiuntur eſſe ſtatuta. Quintus caſus eſt, ſi alicuius orphani cechati, ſeu carentis patre & matre non habentis aliquem comiſſarium poſſeſsio eſſet vendita ad incantum, tunc enim in iſto, & in ipſius poſſeſsione omnia locum habeant, & ſtatuta eſſe intelligantur, quæ in pupillo, & in ipſius poſſeſsione in ſuperioribus ſunt ſtatuta. Sextus caſus eſt cum alicuius abſentis poſſeſsio eſſet uendita ad incantum, tūc enim uenditio poſſeſsionis ipſius abſentis, ſi facta fuerit ipſo abſente non ualeat, nec faciat eidem abſenti aliquod præiuditium etiam poſtquàm fuerit reuerſus ad ciuitatem, ſi infra medium annum, poſtquàm rediuerit ſuper ipſa poſſeſsione, & de tali uenditione moueret quæſtionem, ſi autẽ infra prædictum tempus, & per dictum tẽpus dormiuerit, ita quòd ſuper prædictis nullam fecerit quæſtionem, nullatenus audiatur ad recuperationem poſſeſſionis in eius abſentia uenditæ ad incantum. Septimus caſus eſt cum aliqua paſcua, ſeu nemora comunalia, uel Comunis Iadræ eſſent vendita ad incantum. Tunc enim talis uenditio, incantatio, ſeu deliuratio facta de prædictis paſculis, uel nemoribus non ualeat, nec perpetuò poſsit comunitati, ſeu Comuni Iadræ aliquod præiuditium generare. In hijs ergo ſeptem caſibus ſupradictis, ſiue pupillus, ſiue uxor, ſiue mentecaptus, ſiue furioſus, ſiue orphanus, uel abſens, ſiue comunitas, ſeu Comunæ Iadræ recuperauerit poſſeſsionem ſuam uenditam ad incantum ab illo, qui eam emit in aliquo ſeptem caſuum prædictorum. Tunc ille qui emit habeat, & habere poſsit regreſſum contra uenditorem poſſeſsionis talium perſonarum de toto prætio ipſius poſſeſsionis, & de omni melioramento poſtea facto in ipſa poſſeſſione, & de omni damno contingente ipſi emptori ex eo, quòd vẽditio poſſeſsionum talium perſonarum extitit reuocata, & de omnibus expenſis factis in cauſa cum perſonis prædictis, vel aliqua prædictarum pro defenſione poſſeſsionis, ſibi venditæ ad incantum. Quod uerum eſſe putamus, ut prædicta omnia emptor à venditione poſſeſsionis poſsit petere, & habere, ſi ante placitum, ſeu litis ingreſſum iſte emptor poſſeſsionis talium perſonarum denunciauerit uenditori queſtionem motam, & litis euentum. Et ille uenditor noluerit, uel negligens fuerit, vel non potuerit uenditionem poſſeſsionis talium perſonarum à prædictis defenſare perſonis.

Quæ pœna accidit emptori cui res fuerit deliurata ad incantum, ſi infra tertiam diem non ſoluerit cui deputatum eſt prætium completo inſtrumento deliurationis. Cap. XXXIIII.

Auaritiæ cecitatem emptorum rerum uenditarum ad incantum qui recepta deliuratione in incantu negligunt ſoluere pretium uenditori corrigere cupientes. Statuimus,quòd ſi ille emptor cui poſſeſsio fuerit deliurata per incantum prætium poſſeſsionis venditæ modo prædicto non ſoluerit infra tertiam diem poſtquàm inſtrumentum deliuratæ poſſeſsionis fuerit completum ſoluat nomine pene illi cui prætium poſſeſsionis eſt deputatũ, ſeu etiam deputandum duos ſolidos pro libra, & ſi poſtea fuerit in mora per longius tempus, per ſingulos quindecim dies quibus fuerit in mora ſoluat nomine pœnæ eidem ſolidos quinq; denariorum Venetorum paruorum,pro qualibet libra prætij perſoluendi vltra prætium pro quo poſſeſsio fuerit deliurata, & non obſtante aliquo ſtatuto loquente de minori pœna dominus Comes & Curia compellat emptorem ad ſupradictæ pœnæ ſolutionem modis omnibus,& plenarie faciendam.

Qualiter venditor tempore venditionis debet eſſe in poſſeſsione rei uendendæ ad incantum. Cap. XXXV.

Quorundam fraudibus obuiare ſtudentes ſalubriter ordinamus, quòd aliqua venditio,ſeu deliuratio non proficiat emptori,ſed pro nulla habeatur penitus,niſi temporibus factæ incantationis,& deliurationis ille qui vẽdidit,ſeu pro cuius debito uendita extitit fuerit in poſſeſsione illius rei inmobilis,ſiue ſtabilis,quæ uendita fuiſſe dicitur ad incantum.

Quod nulla deliuratio facta ad incantum obeſſe poſsit paſcuis & nemoribus comunalibus. Cap. XXXVI.

Rem publicam & poſſeſsiones Communes fauorare uolentes. Statuimus quòd aliqua incantatio,ſeu deliuratio facta ad incantum cum aliqua perſona non noceat,nec nocere poſsit paſcuis,ſeu nemoribus comunalibus, nec quibuſcunq; paſculis,ſeu nemoribus,aut rebus ſtabilibus Comunis Iadræ.

De loco,& diebus,vbi,& quibus deliuratio incantus fieri debet. Cap. XXXVII.

Quia ea quæ clam, & celate fiunt non ſolent doli ſuſpitionem,ſeu fraudis euitare,& ea quæ in aperto,ac publice fiunt coram omnibus, & fraudẽ increpant,& honorificant fundatores prouide curauimus ordinare. Quod omnes venditiones,deliurationes,rerum mobilium,& immobilium per Curiam,& dominum Comitem, uel per dominum Comitẽ, ſeu per aliquẽ ex Iudicibus faciendas fieri debeant publice & manifeſte in platea, ſeu lozia Comunis Iadræ. Itẽ fieri debeãt diebus Dominicis,aut feſtiuis,aut feriatis tantũ. Et ſi aliqua deliuratio facta fuerit clam, ſeu celate & non publice,&

palàm,aut alibi,quàm in platea,& lozia Comunis Iadræ, aut alijs temporibus,uel diebus, quàm Dominicis, & diebus feriatis, ipſa talis deliuratio, venditio,ſeu conceſsio nullius ſit ualoris, nec ipſo iure aliquam obtineat firmitatem.

Qualiter res mobiles debeant incantari, & de modo, & forma ſubaſtationis fiendæ. Cap. XXXVIII.

Cum nihil eſſe actum didicimus donec reſtat aliquid ad agendum uiſo de uéditione & deliuratione rerum imobilium, ſeu ſtabilium facta in incã tu, & ad incantum ſatis ordinabiliter reſtat uidere, de uenditione & deliuratione rerum mobilium quæ debent fieri ad incantum, & ideo prouide duximus ſtatuendum, quod cum res aliquæ mobiles, uel ſe mouentes ſubaſtantur,ſeu vendi debeant ad incantum.Volumus,quòd publice in platea,uel ſubtus loziam per ſpacium quindecim dierũ debeant incantari bis in die,quo facto tranſactis quindecim diebus denuncietur ei, uel domui eius cuius res mobilis,uel ſe mouens uendenda fuerit ad incantum, & facta denunciatione res ipſe penitus deliurentur,& dentur,ſeu uendantur plus efferẽti in incantu,& ille cui fuerint deliurate ſit omnino ſecurus, nec aliquis perpetuo audiatur contra deliurationem,ſic ſolemniter, ac publice factum,ſeu notorie ordinatam.Verum ſi res mobilis,uel ſe mouens fuerit minoris prætij uigintiquinq; librarum poterit dominus Comes,& eius Curia,ſi ſibi uidebitur facere deliurationẽ quandocũq; uoluerit ante ſpaciũ quindecim dierum,ſed poſt quindecim dies nullatenus poſsit diferre ſupradictarum rerum mobilium,ſeu ſe mouentium deliurationem.

Qualiter res furtiuæ ſubtractæ uenditæ ad incantum pro tanto prætio poſsit repeti per dominum ab emptore. Cap. XXXIX.

Iure cauetur, quòd furtiuæ res non poſſunt iuſte per aliquem posſideri uſu capi,ſeu præſcribi,niſi prius reuertãtur in domini poteſtatem, & ideo ſi aliqua res mobilis,ſeu ſe mouens ab aliquo furetur,& poſtea vendita fuerit ad incantum,talis incantatio,deliuratio, ac traditio non noceat domino ipſius rei quin ipſam poſsit perpetuò reuocare ac repetere tanquàm ſuam oblato, ſeu tradito prius prætio pro quo ipſa res fuiſſe emptori dicitur deliurata.

Quod qualibet nauis plures habens patronos poſsit incantari per quemcunque, ſi per aliquem ſociorum ipſa nauis ceſſaret, nauigare. Cap. XL.

Si plures ſocij fuerint de aliqua naui,banzono,brizonaui tarreta,ſeu quo

libet alio ligno, ita quòd quilibet habeat in ipſa, uel in ipſo pro indiuiſo partem ſuam,& talis diſcordia oriatur inter eos,quòd ob ipſam diſcordiã nauis ipſa,ſeu lignum non nauigaret,nec aliquod nauigium facere poſſet Volumus,quòd auctoritate huius ſtatuti licitum ſit cuilibet ſociorum nauem ipſam, ſeu lignum ponere ad incantum, & illi, ſiue ſit de ipſis ſocijs, ſiue de alijs hominibus,qui plus obtulerint in incãtu debeat deliurari,quæ locum habere volumus in Iadra tantũmodo, & non alibi.

De donationibus. Titulus iſte continet duo capitula. Quomodo libera ſit conceſſa poteſtas, cuilibet donandi, bona ſua pro libito uoluntatis conſuetudine aliqua non obſtante obſeruant,&c. Cap. XLI.

Volumus, & cuicunque cõcedimus liberam poteſtatem donandi ac in alium transferendi domum ſuam,vineam, poſſeſsionem, & omnem aliam quacunque rem mobilem,uel imobilem,aut ſe mouẽtem, cuicunq; voluerit pro libito uoluntatis non obſtante aliqua conſuetudine quocunq; tempore in contrarium obtenta,dum tamẽ donans,& in alium transferens, ac recipiens ex cauſa antedicta non prohibeantur per ſtatuta aliqua prædictũ inire cõtractũ,nec fiat ſuper re prohibita,uel perſonis prohibitis ĩ ſtatutis.

Quod de quacunq; donatione à decem libris ſupra facta,fieri debet publicum inſtrumentum. Cap. XLII.

Quia ſolitum eſt eorum, quæ in ſcriptis reducuntur facilius reminiſci, ſeu recordari,quàm eorum quæ fiunt in preſentia quorumcunq;, ideo firmiter ordinamus,ut quicunq; uoluerit donare uineam,domum,ſeu quamcunq; aliam poſſeſsionem, ſi prædictus contractus fuerit à decem libris denariorum Venetorum paruorũ ſupra fiat de hoc publicum inſtrumentum manu tabellionis Iadrenſis,quòd ſi ommiſſum fuerit,ſeu non factum publicum inſtrumentum talis donatio de maiori ſumma decẽ librarum nullius ſit valoris. Quæ omnia locum habeant, non ſolum in contractibus donationis factis in ciuitate Iadrenſi,ſed etiã ſi ipſos contingat fieri in diſtrictu.

De euictionibus,& quando res uenditæ, uel donatæ debent excalumniari,ſeu defenſari. Cap. XLIII.

Si uenditor proponat coram Curia, quòd defenſare, ſeu excalumniare rem, quam uendidit non tenetur,& emptor firmiter aſſeueret, quòd uenditor teneatur. Volumus, quòd per ſententiam Curiæ primitus hæc quæſtio terminetur utrum,uidelicet venditor teneatur excalumniare rem uenditam an non teneatur de iure, uel ex pacto.

Quod

Quod qui uendiderit iura ſua cum robore,& uigore, non ex calumniare,niſi pactum fuerit in cartam appoſitum teneatur. Cap. XLIIII.

Si aliquis uendat alicui iura & actiones, ſeu roborem,& uigorem quem habet in aliquibus poſſeſsionibus rebus,aut inſtrumentis,ſeu cartis. Volumus,quòd uenditor nō teneatur excalumniare, ſeu defenſare emptori rē ſic uenditam,niſi ſpecialiter pactū appoſitum fuerit in contractu,quòd talis uenditor excalumniare teneatur rem uenditam modo prędicto.

Qualiter ex natura contractus rem uenditam, tenetur venditor excalumniare euictam,de iure,vel reſtituere prætium iam receptum,excepto in donationibus in alijs teſtus cartulæ obſeruetur. Cap. XLV.

Quicunq; uendiderit alicui rem aliquam mobilem,uel immobilem,aut ſe mouentem teneatur venditor ex natura contractus rem uenditam defenſare,ſeu excalumniare,ſi per alium ab eodem emptore res ipſa petatur, & ille qui uendidit non potuerit excalumniare, ſeu defenſare rem uenditam,quòd locum habere uolumus, ſi per alium res ipſa eſt euicta,ſeu accepta de iure,& non per uiolentiam ab eodem emptore, tunc enim reſtituere teneatur emptori uenditor prætium rei uenditæ,quod habuit ab emptore. Verum ſi pactum fuerit interpoſitum inter uenditorem ex una parte,& emptorem ex altera, quòd ipſe venditor rem uenditā teneatur defenſare, & hoc facere noluit,uel non potuit. Ita,quòd res uendita ab ipſo emptore euicta de iure,& non per uiolentiam extitit. Volumus, quòd ipſe uenditor non ſolum teneatur reſtituere prætium ipſius rei emptori, ſed etiam teneatur ipſe uenditor dare tantum emptori quantum ipſe emptor iurare uoluerit coram domino Comite, & eius Curia rem illā non defenſatam, ſed euictam caram ſibi fuiſſe, quòd ſi pactum fuerit appoſitum inter emptorem & uenditorem, quòd ipſe uenditor minime teneatur rem uenditam defenſare. Volumus,quòd ipſe uenditor nullatenus teneatur etiam ad pretij reſtitutionem,ſi res vendita fuerit euicta à tali emptore,ad hæc ſi aliquis donauit alicui aliquam de rebus ſupradictis non tenetur donator excalumniare,ſeu defenſare rem donatam, niſi pactum fuerit appoſitum inter donantem ex una parte,& donum recipientem ex altera,quòd ipſe donator teneatur ipſam rem donatam excalumniare, ſeu à quolibet defenſare,tunc enim ad illud tenetur,quòd pacti natura requirit.

Quod in qualibet carta uenditionis poſſeſsionis,terræ,uel uineæ,debeant exprimi gognay,uel de quantis paribus bouum,ſi debet poſſeſsio excalumniari. Cap. XLVI.

Contractuum factorum veritas luculenter & lucide aperitur, ſi in ſcriptis reducuntur pacta, ſeu contrahentium voluntates, & ideo cum aliquis cuiuſcunque conditionis, ætatis, vel ſexus uendiderit, permutauerit, ſeu cambiauerit terram, vineam, ſeu poſſeſsionē aliquam, cum alio quocunq; volumus inuiolabiliter obſeruari, quòd carta venditionis, ſeu permutationis illius de quantitate terræ, uineæ, ſeu poſſeſsionis uenditę, ſeu permutatę ſpecialem faciat mentionem narrando gognay, vel quot, ſeu de quantis paribus bouum fuerit poſſeſsio, ſic conceſſa à quocunque, quòd ſi factum fuerit teneatur ille, qui poſſeſsionē tradidit à quocunq; poſſeſsionem traditam defenſare & excalumniare. Si uero aliqua venditio, ſeu cambium, uel permutatio de aliqua terra, uinea, uel poſſeſsione in poſterum, ita fuerit facta, ſeu præſumpta, quòd in carta nō fuerit poſiti gognay, uel pro quātis paribus bouum fuerit terra, vinea, ſeu poſſeſsio uendita, aut permutata. Volumus, quòd ex obligatione talis contractus aliquis nullatenus teneatur amplius defenſare, uel excalumniare, quam ſuo ſacramento dicere, & voluerit declarare fuiſſe terram, poſſeſsionem, vel uineam memoratam datam ex aliqua de cauſis ſupradictis.

De fideiuſſoribus. Titulus iſte continet tria capitula, quòd vxor nullo modo fideiubere valeat pro marito. Cap. XLVII.

Cupientes mulieribus prouidere quæ ſæpe amore immenſo baccatæ ad uirorum præces bonis proprijs ſe expoliant, ac denudant miſericorditer. Ordinamus, quòd vxores pro uiris ſuis non poſsint fideiuſsionem aliquā facere ſine carta, vel etiam cum publico inſtrumēto, quod ſi fecerint, vel ſi etiā cum marito ſe, uel bona ſua in aliquo obligauerint illa talis fideiuſsio, uel obligatio nulla ſit ipſo iure, nec optineat aliquam firmitatem.

Quod debitor non poteſt aſtringi à creditore, ante terminum carte ad alios fideiuſſores dandos. Cap. XLVIII.

Cum alicui pecuniam cum carta, vel ſine carta quis conceſſerit reddendam ad certum terminum expreſſum & limitatum, ſeu declaratum ex pacto inter eos non poſsit creditor antequàm veniat terminus petere, aliam ſecuritatem, quàm illam de qua ſibi prouidit tempore quo pecuniam mutuauit petenti, termino autem ueniente quo pecunia debebat reſtitui creditori ex pacto poterit ipſe creditor à debitore, vel pecuniam ſuam, vel ſecuritatem, ſeu fideiuſſorē idoniorem rationabiliter poſtulare.

Quod nullus ciuis pro ſclauo fideiubere poteſt, nec ſe principalem conſtituere pagatorem. Cap. XLIX.

Quia pro fideiuſsionibus & plezarijs factis pro ſclauis conſueuerunt Iadratini multa damna ſubire, & periculis incurrere indecenter. Idcirco ſtatuimus deinceps firmiter obſeruari, quòd nullus ciuis Iadræ debeat, ſeu poſsit pro ſclauo aliquo fideiubere, uel pro eodem ſclauo ſe principalem conſtituere pagatorem. Et ſi aliquis præſumpſerit uenire contra prædicta, vel aliquod prædictorum, ille creditor apud quẽ facta fuerit fideiuſsio, ſeu plezaria nullum ius ex tali obligatione conſequi valeat, vel habere. Immo ipſe Iadratinus in nullo remaneat obligatus pro cauſa prædicta, & nihilominus teneatur ſoluere Comuni Iadræ pro pœna ſolidos quinq; paruorũ pro libra qualibet obligationis contentæ ad pœnam autẽ huius ſtatuti nullatenus teneantur ciues noſtri, qui interceſſerint pro ruſticis ſclauis comitatus Iadræ, & mandamus quòd valeat obligatio facta pro ipſis ſclauis, & iſte talis contractus pleniſsimam habeat firmitatem.

De pigneribus. Titulus iſte continet iiij. capitula. Si unus debitor plures habuerit creditores in diuerſis inſtrumentis, quòd ille creditor ſit potior in iure qui prior eſt in tempore. Cap. L.

Si aliquis debitor cum pluribus creditoribus ſuper pluribus debitis, ſeu ſuper pluribus quantitatibus pecuniæ contraxerit diuerſis temporibus ſe obligando per publica inſtrumenta. Volumus, quòd ille creditor in bonis, & ſuper bonis, ac poſſeſsionibus debitoris prior, ſeu potior habeatur, & ſit omnibus alijs creditoribus præferendus ad ſibi debitum conſequendum qui primo loco pecuniam mutuauit aliorum poſteriorum creditorũ petitione & contradictione nullatenus obſiſtente, ſeu contradicẽte eidem.

Quod ſi plures fuerint creditores in eodem inſtrumento, ueniente termino liceat cuilibet ex creditoribus petere partem ſibi. Cap. LI.

Quotiens unus debitor eſt pluribus perſonis contraxiſſet per publicum inſtrumentum ſuper vno debito tantum, uel contraxiſſet cũ uno creditore, qui deceſsiſſet pluribus heredibus derelictis, & unus ex ipſis creditoribus, & unus ex heredibus unius creditoris voluerit petere partem ſuam ipſius debiti veniente termino in inſtrumento appoſito dicimus, quòd quilibet creditor, vel heres creditoris libere petere poſsit partem ſibi contingentem de debito antedicto, & aliorum creditorum, ſeu heredum creditoris contradictione non obſtante poſsit ferri ſententia ſuper parte unius & exequi in bonis ipſius debitoris per Dominum Comitem & Curiam eius ſententia ſit prolata.

Quod de qualibet pigneratione poſſeſsionis à decem libris ſupra debeat fieri publicum inſtrumentum manu tabellionis. Cap. LII.

Quia ſolitum eſt eorum quæ in ſcriptis reducuntur facilius reminiſc ſeu recordari,quàm eorum quæ fiunt in præſentia quorumcunq;, ideo firmiter ordinamus,ut quicunq; voluerit pignerare, ſeu obligare uineam,domum,ſeu quamcunque aliam poſſeſsionē, ſi prædictus contractus fuerit à decem libris denariorum Venetorum paruorum ſupra fiat de ipſo publicum inſtrumentum manu tabellionis Iadrenſis,quod ſi ommiſſum fuerit, ſeu non factum publicum inſtrumentum talis pigneratio,ſeu obligatio de maiori ſumma decem librarum nullius ſit ualoris, quæ omnia locum habeant non ſolum in contractibus factis in ciuitate Iadrenſi,ſed etiam ſi ipſos contingat fieri in diſtrictu.

Quod ſi quis habens rem ob certam pecuniam in pignere penes ſe alteri obligauerit pro maiori ſumma,dominus ipſum pignus redimere poſsit pro ea quantitate pro qua ſecūdus obligauit ſaluo eidem iure contra ſecundam perſonam. Cap. LIII.

Si aliquis debitor obligauerit pignus ſuum alicui creditori pro certa pecuniæ quātitate,& idem creditor etiam ipſo debitore ignorante illud idē pignus alteri obligauerit creditori pro maiori ſumma pecuniæ, quàm ſibi fuerit obligatum. Volumus,quòd iſte creditor,qui recepit pignus ſecundo loco nullatenus teneatur reddere pignus illud domino cuius eſt, & qui primo obligauerat illud,niſi ipſe dominus integraliter ſatisfaciat eidem ſecundo creditori de tota maiori ſumma pecuniæ,pro qua idem pignus fuerat obligatum. Verum ſi contingat, quòd ipſe debitor ſoluat iſtam maiorē ſummam pecuniæ, & recipiat pignus ſuum de ſuperfluo, quod excedit illam ſummam pecuniæ,pro qua obligauerat pignus ſuum regreſſum habeat contra illum creditorem cui primo obligauerat illud pignus pro minori ſumma, Item de damnis & expenſis,quæ iſte debitor ſubſtinuit iſta de cauſa quæ damna,& expenſas ipſe debitor ſuo ſacramento lucide declararet, & ſecundum quod iurauerit prior creditor condemnetur.

De ſolutionibus. Titulus iſte continet iiij. capitula, quod ſi ſine carta & teſtibus aliquod auere aliquis accepit illud ſine carta & teſtibus reddere poteſt creditori. Cap. LIIII.

Si ſine carta & teſtibus aliquod auere ab aliquo accepiſti ſine carta, & teſtibus creditori ſuo ſoluere, ſeu reddere potes.

Quod ſi aliquis debitor ſe offerat ſoluturum creditori, quòd tenetur ex carta, eidem creditor reddere teneatur inſtrumentum, quòd ſi iurauerit perdidiſſe ſecuritatis cartulam facere teneatur. Cap. LV.

Noſtros conciues in bona pace ſalubriter gubernamus, ſi quod ſuum eſt cuilibet condonetur. Et ideo ſi aliquis petierit à debitore ſuo quod ſibi debetur per ſententiam, uel publicum inſtrumentum, & ad ſolutionem plenarie faciendam debitor offerat ſe paratum, ſi creditor eidem debitori dederit inſtrumentum in quo, & per quod eſt obligatus eidem. Volumus, quòd idem creditor eidem debitori inſtrumentum obligationis ante omnia reddere teneatur, & etiam ſecuritatis cartam facere, ſi ipſe debitor talem ſecuritatẽ poſtulauerit, ſeu requirat, demum poſtea creditor recipiat à debitore quod ſibi tenetur. Verũ ſi creditor ipſe dixerit ſe cartam amiſiſſe, uel eam præ manibus non habere. Volumus, quòd dominus Comes, & Curia tali creditori deffere debeat iuramentũ, vt iuret ad ſancta Dei Euangelia tacto libro, quòd non habet cartam ipſius debiti, nec ſcit vbi ſit, nec eam alicui doloſe dedit, & ſi contingeret, quòd ipſe modo aliquo poſſet inuenire, ſeu recuperare illã, quàm citius poterit ſuo reſtituet debitori. Et inſuper nihilominus facere teneatur plenam cartulam ſecuritatis ipſi debitori ſuo de non petendi ulterius quod ſibi manualiter perſoluetur, demũ poſtea recipiat debitum ſuum cum legitimis expenſis per Iadrenſem Curiam taxandis, ſeu legitime reſtringendis.

Quomodo, & qualiter heredes, defunctæ perſonæ, ſua debita ſoluere coarctentur. Cap. LVI.

Sæpe contingit, quòd debitor alicuius, ſiue aliquorũ decedit aliquibus heredibus inſtitutis, poſt mortem eius creditores concurrunt, ac poſtulãt, ſibi ſolui quod à defuncto debebatur eiſdẽ & nituntur expoliare heredes bonis omnibus defunctæ perſonæ, ac etiam bonis ipſorum heredum. Certè in caſu ſupradicto, volumus, & mandamus quòd ſi heredes defunctæ perſonæ fecerint inuentarium de bonis omnibus repertis in hereditate legaliter, & bona fidẽ non teneantur ſoluere plus creditoribus defunctæ perſonæ, niſi in quantum fuerit repertum in hereditate, & ſcriptum in inuentario antedictum. Verum ſi ipſi heredes nullum fecerint inuentarium, vel fecerint, & non poſuerint in eo omnes res hereditatis defunctæ perſonæ, volumus, quod omnibus creditoribus & legatarijs teneantur inſolidum ſatisfacere, etiam ſi uires hereditatis non ſufficerent ad ſolutionẽ omniumque debebantur, & relicta ſunt à defuncta perſona.

Quomodo, & qualiter debitor poteſt perſonaliter detineri, & poni in caſtellum. Cap. LVII.

Dicimus, quòd quicũq; nõ potuerit ſatisfacere creditori de debito quod recepit ab ipſo per dominum Comitem, & eius Curiam perſonaliter capi mandetur, & demum detineatur, & in Caſtellum deducatur ad uoluntatẽ creditoris vſq; ad ſatisfactionem plenariam, & condignam omnium quæ debentur. Eo ſaluo, quòd ſi aliquis nobilis de conſilio, aut filius eius, aut alius cuius pater extiterit de cõſilio fuerit debitor alicuius & ex eo quod non ſatisfacit fuerit detentus, ſi ipſe voluerit bonam & idoneam ſecuritatem dare ad uoluntatem creditoris de ſtando ſubtus loziam die, noctuq;, & ibi comedere, & bibere, & dormire, donec ſuo ſatisfecerit creditori. Volumus quòd audiatur, & ſi contingerit ipſum exire lodiam, & rumpere confines aliqua de cauſa, niſi forte pro corporis neceſsitate cogatur fideiuſſor, ſeu ſecuritas data per ipſum ſatisfacere creditori totaliter, & in totum illud ad quod ipſe debitor fuerit obligatus, verum ſi domino Comiti, & eius Curiæ, qui pro tempore fuerit uideretur, quòd uoluntas creditoris eſſet iniqua, vel quòd peteret non debitum, aut denegaret fraudulenter accipere fideiuſſorem idoneum totum ſit in prouidentia domini Comitis, & eius Curiæ, & quicquid diffinierit ſuper hoc habeat pleniſsimã firmitatẽ.

De diuiſione quorumcunque bonorum communium facienda, & de omni eo quod poteſt dari, ſeu asſignari ante partem alicui ex filijs à patre ipſorum, vel matre, Titulus iſte continet quinq; capitula. Cap. LVIII.

Ordinamus, quòd cum deinceps diuiſio aliquarum poſſesſionum, quæ ualeant decem libras paruorum, vel abinde ſupra aſcendendo inter quaſcunque perſonas de Iadra fuerit facienda, illa talis diuiſio fieri debeat per publicum inſtrumentum ſcriptum manu boni Notarij, & legalis, ſeu tabellionis. Et ſi deinceps aliqua diuiſio facta fuerit ſine carta de poſſesſionibus quæ ualeant ultra decem libras denariorum Venetorum paruorum nõ teneat illa diuiſio quæ facta fuerit ſine carta, nec ipſo iure aliquam habeat firmitatem.

Quod dominus Comes, & Curia tenetur dare partitores petentibus ſuper diuiſione bonorum. Cap. LIX.

Si heredes alicuius petierit à domino Comite, & eius Curia fieri partionem, ſeu diuiſionem de bonis hereditatis paternæ, vel maternæ, ſine dilatione aliqua dari eiſdem heredibus debeant per dominum Comitem, & eius Curiam partitores.

Quod fratres,& ſorores poſt mortem patris in diuerſis familijs morari uolentes à x. ann. diuidere teneantur. Cap. LX.

Quia,ut plurimũ ex comunione longeuæ damnabilis ſolet oriri diſcordia, Ideo ſalubriter duximus declarandum, quòd ſi aliquis cuiuſcunque cõditionis,vel ſexus in mortis articulo conſtitutus dimiſerit domos ſuas, vineas,vel terras,uel quaſcũq; alias poſſeſsiões filijs ſuis maſculis, vel fæminis ipſi fratres,uel eorum filij, atq; filiæ omnes poſſeſsiones, ſic relictas infra decem annos poſt mortem ipſius qui relinquit diuidere teneantur ſi ſe paratim, & per ſe in diuerſis familijs morari uoluerint, & non ſimul, & ſi prædictæ perſonæ,uel filij eorum,ſeu filij filiorum infra prædictum tempus ipſa bona non diuiſerint,ut eſt dictum,ita quòd quilibet per ſe ſuam partem integraliter recognoſcat. Tunc elapſis decem annis, ille qui reperietur in poſſeſsione ipſarum rerum cenſeatur,præſumatur,& habeatur ſine contradictione alicuius perſonæ verus Dominus,& poſſeſſor ipſius rei in cuius poſſeſsione eſt,ita tamen quòd prædictum tempus decem annorũ non poſſit, nec debeat currere,uel nocere alicui perſonæ pupillaris ætatis,uel furioſo,vel abſente toto tempore pupillaris ætatis furoris,vel abſentiæ.

Quod paterfamilias alicui ex filijs non poſsit dare ante partem ultra,quàm libras decẽ pro centenario. Cap. LXI.

Quia ſæpe contingit,quòd pater præconceptam in certos,ſeu aliquos ex filijs dilectionem in bonorum diſtributione,ſeu conceſsione oſtendit vltra partem alicui, ſeu aliquibus ex filijs manualiter aſsignando, & alijs quibus nihil eſt aſsignatum dant cauſam eorũ confratribus inuidendi, & duriter conquerendi, ne de iſta ſupra parte ſiue ante partem in poſterum aliqua queſtio oriatur ſancimus. Quod paterfamilias non poſsit dare alicui ex filijs maſculis ante partem ultra quàm decem pro centenario bonorum ſiue partis quæ ad alios filios in bonis patris pertineret de iure. Si uero non haberet filios maſculos,ſed filias tantum fœminas, quòd dictũ eſt de filijs maſculis, hoc idem in omnibus,& per omnia,& de filijs fœminis intelligatur eſſe ſtatutum. Quod autem contra hoc ſecundum fuerit,nullam habere uolumus firmitatem, ſed ſit irritum ipſo iure. Quæ dicta ſunt ſuperius in dato ante partem per patremfamilias filijs ſuis maſculis,uel fœminis dicta eſſe intelligantur,& ſtatuta in dandis ante partem filijs maſculis, vel fœminis per patrem eorum, vt in dato ante partem à patre & matre æqualis iuris cenſura ſeruetur.

Quod filijfamilias dimiſſoriam eis relictam patre uiuente poſt mortem patris capiant ante partem. Cap. LXII.

Quotiens dimiſſoriam relictam filijsfamilias pater poſsidet, in qua ipſe pater habet ius utendi & fruendi. Volumus quòd ipſi filij quibus fuerat talis dimiſſoria derelicta. Capiant ante partem poſt mortem patris ipſam dimiſſoriam ſi eſtat, uerum ſi fuiſſet alienata per patrem, habeant ipſi filij veram extimationem ipſius dimiſſorie ante partem.

De locatione & conductione omnium rerum ſtabilium, mobiliũ, & ſe mouentium, & operorum omnium perſonarum, qualiter dominus poteſt pignus accipere de bonis in domo locata repertis. Cap. LXIII.

Iubemus, quòd cũ aliquis domũ ſuã locauerit alicui, & ille qui recepit locationem de penſione. Secundum conuentionem & pactum non ſatisfecerit locatori, quòd liceat eidem locatori, ſeu domino domus ſua auctoritate recipere pignus de bonis in domo locata repertis, vſq; ad integram ſatisfactionem ſibi debitæ penſionis ipſius domus.

Quod Dominus poſsit exigere fictum coram Curia à conductore, qui domũ conductam relinquit ante terminũ. Cap. LXIIII.

Cum habitator, ſeu conductor alicuius domus exiuerit, ſeu domum relinquerit, ſic conductam ante terminum, uel penſione debita non ſoluta. Et de ipſa domo conducta ante terminum, uel poſt tranſportauerit res antea in ipſa domo inductas, ſeu habitas, & detentas. Volumus, quòd tunc Dominus domus petere & exigere poſsit fictum, ſeu penſionem coram Curia ab illo qui domum conduxit.

Quod conductor non poſsit ante terminum expelli de domo conducta, niſi caſibus in quibuſdam. Cap. LXV.

Quia in iure cautũ reperitur nihil eſſe, quòd magis hominibus debeatur quàm, ut eorum conuentiones, & pacta nullatenus uiolenter, ideo iuſtè putauimus ſtatuendum, quòd ſi aliquis locauerit domum ſuam alicui habitandam vſq; ad certum tempus Dominus domus nõ poſsit ante finitum tempus locationis de domo locata inuitum expellere conductorẽ, niſi ipſe conductor penſioné domus debitam & conuentam non ſoluerit in termino ordinato, tunc enim ipſe Dominus inuitum poſſet expellere conductorem, ſi ipſe conductor, ſeu habitator in continenti ſibi ſatisfactione nõ prouiderit prompta, celeri, & parata. Item niſi ipſe conductor, ſeu habitator domus peruerſe, ſeu malo modo, & inhoneſte in domo locata fuerit conuerſatus, tunc enim Dominus domus inuitum poterit expellere conductorem, Item niſi Dominus domus proprijs vſibus neceſſariam eſſe probauerit rem locatam, ſeu ipſam domũ locatam neceſſe habuerit habitare, tunc

enim Dominus domus de domo locata expellere poterit conductorem, ſi talis neceſſaria habitatio Domino ſuperueniat, cui ipſe Dominus tempore factæ locationis non potuit prouidere. Item niſi Dominus domus neceſſario corrigere, ſeu reficere voluerit rem locatam, tunc enim Dominus domus de domo locata inuitum poterit expellere conductorē, ſi talis neceſſaria refectio locatæ domui ſuperuenerit, quæ factæ locationis tempore minime apparebat.

Quod conductor domū conductā exiens poſsit eam honeſtæ perſonæ locare, niſi in certis caſibus. Cap. LXVI.

Si conductor domus exiuerit de domo conducta propria voluntate propter quòd ſoluere teneatur Domino domus integram penſionē. Volumus quòd poſtea idem conductor poſsit domum, ſibi locatam alteri honeſte habitanti locare, uſq; ad tempus quo habitare poterat & debebat. Niſi Dominus domus voluerit ſibi ipſi domum habere & recipere ſic locatam, ac pro rata temporis eidem conductori rei locatæ remittere penſionē, Sed ſi contingerit, quòd ipſe conductor alteri licet comuni ab ipſo conductam, iſte ſecundus conductor, & res fuerit in omnibus, & per omnia obligatæ Domino domus, ſicut fuerant res illius qui primo conduxit ipſam domum à Domino domus.

Quod ſi Dominus vendiderit domum locatam liceat emptori, niſi aliud pactum apparent inuitum expellere conductorē. Cap. LXVII.

Si aliquis domum ſuam locauerit, uſq; certum tempus pro certo prætio habitandam, & poſtea ipſe Dominus domus alteri domum uendiderit ſic locatam. Volumus, quòd emptor ipſius domus inuitū poſsit expellere conductorē, auſi tali pacto emerit ipſam domum, ut ipſe conductor in eadem domo debeat permanere, quouſq; tempus ſue conductionis completum, ſeu terminatum fuerit.

Qualiter laborator qui vineam conduxit, ſiue ad partem, ſiue ad medietatem tenetur colere, & de pœna, ſi ceſſabit laborare, niſi interueniente iuſta cauſa. Cap. LXVIII.

Vt vineæ vtiliter valeant in melius propagari, rationabiliter duximus declarandum, quòd quilibet cuiuſcunq; condictionis, ſexus, vel ætatis fuerit, qui receperit vineam alterius ad medietatem, vſq; ad certum tempus, ſeu temporaliter laborandum, ita ut medietatem, uel partem conuētam recipiat obuētionum, ſeu fructuum, qui naſcuntur ibidem ipſam bona fide laborare, & regere teneatur, ac zapare bis in anno tempore condecenti, ita

quòd nullo modo permittantur ſcozizo, nec cilice in vineis ſic locatis, & etiam ipſe vineæ in palis ponere nullatenus præſumantur abſq; dominorũ vinearum licentia petita, habita, & conceſſa. Verum ſi quis laboratorũ, ſeu conductorum contra præmiſſa fecerit, uel aliquod præmiſſorũ præter fructum, ſeu vinum illius anni perceptum, ſeu habitum de vinea non laborata vt dictum eſt, quòd vinum ad Dominum ipſius vineæ peruenire, volumus totaliter, & in totum ſoluat laborator pro banno Comuni Iadræ libras ſex denariorum Venetorum paruorum, quorum medietas perueniat in Commune Iadræ, alia uero medietas Domino vineæ condonetur, ſeu etiam applicetur ad quas omnes pœnas ipſum laboratorem ex eo, quòd non laborauit ipſam vineam, nolumus teneri, ſeu fore in aliquo obligatum, ſi iuſta cauſa ipſum legitime excuſante non laborauit, vt in ſuperioribus dictum fuit, ſed ſufficiat, tunc ſi ipſe laborator nullos fructus recipiat pro anno illo de vinea non laborata, & applicentur Domino vineæ antedictæ. Et ſi pro parte tẽporis antedictam vineam laborauit pro alia vero parte tẽporis non laborauit iuſta cauſa ipſum legitime excuſante, recipiat ipſe laborator partem fructus ipſius vineæ, prout iuſtum fuerit Curiæ habito reſpectu ad laborẽ impẽſum in ipſa vinea, & ad utilitatẽ contingentem de vinea ſic locata.

Quæ ſunt cauſæ propter quas excuſatur laborator, ſi non laborauit vineam, ut conuenit. Cap. LXIX.

Iuſtam & euidentem cauſam propter quam laborator dicatur fore excuſatus, ſi non laborauit vineam temporibus oportunis appellamus infirmitatem contingentem tempore quo uinea debebat laborari, ſed tunc teneatur Domino vineæ notificare, vel caſum mortis contingentis in ipſum laboratorem, ſi tales perſonæ non remanſerint ſui hæredes quæ ipſas vineas potuiſſent laboraſſe, vel facere laborari, & tunc etiam teneatur laborator Domino nunciare, quòd propter talem cauſam non poteſt vineam laborare, vel caſum famis, & vniuerſalis ſterilitatis, & tunc etiam teneatur laborator Domino nunciare, quòd propter talem caſum non poteſt vineam laborare, uel præceptum Domini Comitis & Curiæ à quo ipſe laborator ſe excuſare non poſsit, vt quia pro ipſo Comuni Iadræ ad aliquem locum accedat tempore quo ipſe vineæ laborari debebant.

Qualiter Dominus poteſt vineam locatam, aliјs locare, ſi conductor per annũ eam laborare ceſſauit. Cap. LXX.

Si propter aliquam cauſam euidentem per quam laborator iuſte excuſatur vineæ locatæ eidem per unum annum non fuerint laboratæ. Volumus, quòd Dominus vineæ ab illo anno in antea poſsit ipſas vineas per quemcunque voluerit facere laborari, non obſtante aliquo pacto prius

facto, cum primo conductore qui noluit, vel non potuit, ut debebat ipſas vineas laborare.

Qualiter conductor vineæ tenetur pro quolibet gognay annuatim ponere operarium pro gribenicijs, atque procladis. Cap. LXXI.

Volumus, ut omnis laborator, ſeu conductor teneatur ponere vnum operarium, vel per ſe ipſum perſonaliter operari vno die pro quolibet gognay vineæ annuatim, qui in ipſa vinea ponat, & faciat in loco neceſſario proclados, & gribenizas, ſeu qui ipſas vineas ſclopibus recomundet faciēdo tempore congruo, & decenti in ipſa die vigintiquinq; foueas in vinea ſic conducta, niſi fortè ipſa vinea foret nimium petroſa, vel impoſſibilis ad fodendū, quod ſi nō fecerit in pœnas ſupradictas ſe nouerit incurſurum.

Quomodo, quouſque, & quibus expenſis laborator vineæ tenetur in vuis, vel in vino partem Domino aſsignare. Cap. LXXII.

Cupientes vt Domino vineæ honor debitus præferatur, & ne ſuo iure in aliquo defraudetur. Volumus, quòd ſi Dominus vineæ voluerit recipere fictum, ſeu partem ſuam in vinea teneatur laborator portare partē vuarū Domino contingētem uſque in barcam expenſis ipſius laboratoris, verum ſi Dominus voluerit recipere fictum ſuum, ſeu partem ſuam nō in vuis, ſed in uino, tunc laborator teneatur ſuis expenſis facere deferri uuas ad ciuitatem Iadræ, quo facto in tinatio, ſeu vaſe, quo poſitæ ſunt vuæ muſtate iuxta fundum per quatuor digitos ponatur vna canella, demum quando ipſa barca cum vuis & muſto applicuerit portui de ipſa canella extrahatur fictus, ſeu pars ipſius, quam partē Dominus faciat deferri ad domum ſuam, ſuis proprijs expenſis, eo ſaluo, quòd ſi ſuper prædictis pactum aliquod fuerit appoſitum inter Dominum & laboratorem qui uineam laborauit. Volumus, quòd illud pactum debeat inuiolabiliter obſeruari, ſi illud pactum appareat factum eſſe per publicum inſtrumentum.

Quod quicunq; laborauerit, ſeu fecerit laborari alienas vineas Domino denunciare tenetur, antequàm vindimiet per tres dies. Cap. LXXIII.

Deſiderantes quorundam ruſticorum præſumptuoſam audaciam rationabiliter refrenare. Statuimus, quod quicunq; laborauerit, ſeu fecerit laborari alienas vineas, ſiue vites ſuper terram alicuius vineam uindimiare nō debeat, nec poſsit, niſi prius denunciauerit Domino vineæ per tres dies

antequàm vindimia fiat,ſeu fuerit facienda, quod ſi aliquis tantæ temeritatis repertus fuerit, quòd vindimiare præſumat propria auctoritate Domino non requiſito perdat vindimiam illius vineæ pro anno illo,eo ſaluo, quòd ſi in inſtrumẽto primeuæ locationis vineæ pactum aliquod appoſitũ fuerit inter ipſos,illud debeat integraliter obſeruari.

Quod nullus poſsit in placito petere naulum alicuius beſtiæ perditæ, niſi prius per Curiam ſententia feratur de valore precij beſtiæ perditæ. Cap. LXXIIII.

Cum aliquis dederit æquum ſuum, ſeu aſinum ad naulum,ſeu ad uecturam,& contingat poſtea illum æquum perdi aliquo modo.Volumus,& mãdamus,quòd Dominus beſtiæ nõ poſsit placitare,ſeu in placito petere naulum ipſius beſtiæ quod dari conuenerat quouſque ſententiatum fuerit per Curiam de valore & reſtitutione precij beſtiæ perditæ quo facto abinde in antea liceat Domino beſtiæ placitare, & in placito petere naulum beſtiæ ſic perditæ ſui ammiſſæ.

In quibus caſibus tenetur ad reſtitutionem animalis ad naulum accepti, & in quibus non,ſi perierit,vel fuerit deterioratũ. Cap. LXXV.

Si æquum,vel aliud animal aliquis acceperit ad naulum, ſeu ad vecturã, & equis ille perierit, vel deterioratus fuerit incendio, ruina,naufragio,vel cœleſti fulgore,uel in curſu hoſtium,vel extiterit pro alioquorum Iadrenſium repreſaleis interdictus,non dico pro ſuis,ſiquidem pro mala cuſtodia contingerit,vel pro nimio labore morietur.Tunc depereat illud animal illi qui accepit,ſi uero illam cuſtodiam,& diligentiam adhibuit ille, qui recepit equum,quàm in ſuis proprijs rebus adhibetur, tunc nullatenus teneatur, niſi cum dixerit ſe ad vnum locum ire uelle,ad aliud iuiſſet, & equus ille periiſſet ibidem.

Quam rationem reddere tenetur paſtor Domino de beſtijs minutis. & magnis perditis. Cap. LXXVI.

Cunctis clarius pateſiat,quòd quicunq; dederit cum carta,uel ſine carta pecudes,aut capras,vel alia animalia minuta ad paſcendum alicui paſtori certo prætio conſtituto eidem pro ſuo labore,ſeu certa parte ipſarũ ouium & caprarum,ſi de ipſis beſtijs aliquas amiſerit, ſiquidem tres per centenario de tribus beſtijs paſtor nullam Domino teneatur reddere rationem,at ſi ipſe paſtor plures tribus amiſerit,de quibus non poſsit Domino reddere rationem quæ ſclauonice dicitur ſclado,teneatur ipſe paſtor de proprijs bonis ſatiſfacere Domino beſtiarum.Verum ſi qua alia animalia data fuerint

ad paſcendum,ut puta vaccæ,aſini,& iumenta,& paſtor ſua ſtultitia,pigritia,uel negligentia amiſerit aliquod animal de prædictis teneatur Domino reſtituere animal quod amiſit,uel eius extimationem veram rationabilem,& condignam. Et ſi aliquod pactum, uel aliqua ordinatio facta fuerit in contrarium,ſeu cõtra hoc ſtatutum nihil ualeat,nec habeat aliquam firmitatem, & inſuper qui pactum aliquod fecerit in contrarium ſoluere teneatur Comuni Iadræ cẽtum ſolidos denariorum Venetorum paruorum, cuius medietas ſit accuſatoris.

Quod paſtor rationẽ Domino reddere tenetur de perceptis de ipſis beſtijs ſi fuerit requiſitus à Domino. Cap. LXXVII.

Prouide duximus ordinandum, quòd quilibet paſtor teneatur Domino facere rationẽ de omnibus perceptis, & habitis de ipſis beſtijs quas paſtor receperat ad paſcendum, ſi à Domino fuerit requiſitus.

Quod Domino beſtiarum tribus uicibus in anno de præpaſſo agnis & lana à brauario & paſtore inquirere rationem. Cap. LXXVIII.

In diſtrictu Iadræ,vel in Pago dedit aliquis ad paſcendum, & cuſtodiendum, ſeu gubernandum alicui brauario,uel paſtoribus aliquas beſtias minutas, uel magnas eo pacto,ut reciperet certam partem.Volumus,quòd liceat Domino beſtiarum tribus uicibus in anno de præpaſſo,ſeu lacte agnis, & lana ab ipſis brauario & paſtoribus inquirere rationem. Et ſi brauarius, uel paſtores inuenti fuerint fraudem aliquam, comiſiſſe compellantur Domino dare & ſoluere integrum capitale cum toto introitu,& præpaſſo, & ſi quandò, ſeu quandocunq; repertum fuerit Dominũ beſtiarũ eſſe defraudatum poſsit ipſe Dominus à paſtoribus ſua auctoritate accipere beſtias cum præpaſſo.

Quam pœnam ſuſtinere debet qui terram,vel vineam non coluerit, ut promiſit,uel aliud opus in ciuitate, vel extra. Cap. LXXIX.

Multorum ruſticorum, ſeu operariorum iniquitatem optantes,& malitiam refrenare rationabiliter ordinamus,ut ſi aliquis cuiuſcũq; conditionis,vel ſexus fuerit,quòd pactum faciat,ſeu conuentum cum quacunq; perſona de laborando terram,uel vineam ad ſummam,vel defaciẽdo aliquod aliud opus in ciuitate,uel extra,ſi illud laborerium non fecerit, ut promiſit ſoluat pro banno Comuni Iadræ vnum yperperũ, & inſuper quod promiſit compellatur per Curiam modis omnibus adimplere.

Quam pœnam pati debet qui promiſit laborare alicui ad diẽ in quolibet opere,& non laborauit. Cap. LXXX.

Laborauit aliquis in terra,vinea, ſeu in quocunque alio opere in ciuitate,uel extra non ad ſummam, ſed laborauit eo pacto,ut pro quolibet di mercedẽ,ſeu certum præcium debeat recipere pro labore. Volumus,quod ſi iſte talis laborator die quo promiſit noluerit laborare, reſtituat illi cui laborare tenebatur duplum eius quod debebat recipere pro mercede.

Quòd magiſtri murorum in ipſo laborerio permanere debent à mane quando campana pulſatur propter operarios, & uſque quo pulſatur in ſero. Cap. LXXXI.

Magiſtros murorum ſtare debere, & in laborerio aſsidue permanere à mane quando campana Communis pulſatur propter operarios,vſquequo pulſata fuerit in ſero,auctoritate huius ſtatuti,precipimus, & mandamus.

De iure emphiteotico,ſeu de iure quod acquiritur danti & recipienti poſſeſsiones aliquas ad paſtinandum quod nullus det terram ad paſtinandum minus quàm ad quartam partẽ,& de pœna dantis. Cap.LXXXII.

Conſuetudines hactenus obſeruatas, quæ non ſunt legi contrariæ nolentes præſentis ſtatuti oraculo comendare ſatis vtiliter putauimus repetendum ſtatutum de poſſeſsionibus paſtinandis,& ideo volumus perpetuò obſeruari. Quod quando terræ,uel poſſeſsiones aliquæ,per quamcunq; perſonam Eccleſiaſticam,vel ſecularem,cuiuſcunq; condictionis,dignitatis, uel ſexus concedentur ad paſtinandum alicui cuiuſcunque condictionis non concedantur ad minorem partem,quàm ad quartam,Ita quòd verus Dominus terræ,ſeu poſſeſsionis paſtinandæ ſaltem percipiat quartam partem perceptorũ fructuum omni anno verum,ſi contrafactũ fuerit,uel præſumptum,tam ille,qui aliter conceſſerit,quàm ille,qui aliter recepit ſoluat Communi Iadræ pro banno decem libras paruorum pro quolibet gognay. Et quicunq; Curiæ Iadrenſi indicauerit tam perſonas concedentes, quàm recipientes contra prædictam formam habere debeat à Comuni tertiam partem totius banni prædicti. Super quibus omnibus aduocati, & iuſticiarij Comunis Iadræ teneantur ex debito ſui officij ſupradicta omnia inquirere diligenter,& poſsint,&debeant ponere ad ſacramẽtum quoſcũq; putauerint ſcire prædicta ad indaginẽ ueritatis, & correctionẽ oĩum prædictorũ.

Quod paſtinator teneatur in circuitu vineæ quæ ſit vltra quatuor gognay plantare arbores oliuarum,& quatuor arbores mororum. Cap. LXXXIII.

Bonæ rei operam damus, quando poſſeſsiones noſtras nitimur in melius propagari, & ideo ſi aliquis paſtinauerit terram alicuius ad terraticum, Volumus, quòd teneatur & debeat in circuitu totius vineæ paſtinatæ plantare arbores oliuarum, quarum una diſtet ab altera per tres paſſus & quatuor arbores mororum in qualibet vinea, quæ ſit ultra quatuor gognay niſi Dominus contradicat, ſeu paſtinator remanſerit de Domini voluntate in quolibet caſuum prædictorum, ſiue in arboribus mororum, ſiue oliuarum. Intra vineam autem volumus ipſum plantare arbores, & mandamus, prout ſibi utile viſum fuerit expedire pro vtilitate vineæ paſtinatæ. Verum ſi quis contra prædicta fecerit, uel aliquod prædictorum ſoluat pro banno Comuni Iadræ libras ſex denariorum Venetorum paruorũ pro primo anno, pro ſingulis autem annis poſt primum annum ſoluat ſolidos viginti paruorũ donec ipſa vinea fuerit in circuitu plantata arboribus oliuarum & mororum, cuius banni medietas ad accuſatorem debeat peruenire.

Quam pœnam ſuſtinere debet, qui dederit terram ad paſtinandum minus quàm ad quartam partem. Cap. LXXXIIII.

Cũ aliquis cuiuſcũq; cõdictiõis, dignitatis, ſtatus, vel ſexus terras aliquas dare voluerit ad paſtinandũ, prohibemus ne illas dare, ſeu concedere poſſit alicui, niſi eo pacto, quòd ipſe Dominus terræ debeat quartam partem omnium fructuum terræ, ſic paſtinatæ recipere, & qui aliter, ſeu alio pacto dederit, uel receperit ſoluat pro banno Comuni Iadræ libras vigintiquinque denariorum Venetorum paruorum.

Quomodo ruſticus emphiteota volens vẽdere iura ſua tenetur denuntiare Domino, & quæ forma debet obſeruari. Cap. LXXXV.

Quia quidã terrarum paſtinatarum Domini, & potiſsime religioſi prelati, ac Abbatiſſe, & prioriſſæ, & nihilominus quidam clerici, ſeculares mul totiens ruſticis qui terras ipſas paſtinauerunt indebite malignantur eo quòd dum ipſi laboratores coguntur uendere propter neceſsitatem ius ſuum alteri ipſi Domini differunt licentiam concedere uendendi, ac procraſtinant, ut ab ipſis ruſticis poſsint aliquid extorquere. Volentes ipſorũ dominorum malitiam radicitus extirpare, putauimus ipſis ruſticis ſalubri ter prouidere. Volumus enim ſi aliquod pactum eſt appoſitum ſuper hoc quod illud ſeruetur, ſi autem non eſt appoſitum aliquod pactum. Volumus quòd ipſe ruſticus denunciet coram duobus teſtibus Domino qualiter ius ſuum vult vendere, & ſi ipſe Dominus vult emere, emat, ſi poteſt eſſe in concordia cum ruſtico, ſed ſi facta denunciatione ipſi Domino, Dominus non poterit eſſe in concordia cum ruſtico, poſtea ipſe ruſticus facto mercatorium ſuorum cum altero, redeat ad Dominum cum duobus teſtibus, &

iterato denunciet ruſticus Domino,quòd emat iura ſua, pro tanto precio pro quanto fuerat in concordia vendendi alteri,& tunc habeat ipſe Domĩnus poſtea terminum octo dierum ad deliberandum, ſi vult emere pro tanto pro quanto alter vult emere,& de quantitate credatur ſacramento emere volentis,& venditoris,quòd pro tanta quantitate poteſt uendi,& ſi infra prædictum tempus octo dierũ Dominus non emerit iura ruſtici habeat ipſe ruſticus poſtea plenam libertatem perficiendi venditionem factam cum altero,& valeat, & ſit firma,& teneatur Dominus rogare examinatorẽ ponere manum uenditioni alteri perſonæ factæ,& ſi Dominus illius terræ paſtinatæ, ſiue ſit Abbas,ſiue alter cuiuſcunq; conditionis, uel ſtatus noluerit tali uenditioni conſentire,nec examinatorem rogare, ſed differt & procraſtinat petitionem & uenditionẽ ipſius ruſtici paſtinantis malitioſe turbando, ſeu ſubdole retrahendo vtilitates ruſtici antedicti, poſsit ruſticus ille paſtinator facta venditione,cuicunq; emptori non prohibito,ſaluo ſemper iure ſuo Domino ipſius vineæ paſtinatæ adire Dominum Comitem,& eius Curiam & petere,quòd compellatur Dominus vineæ paſtinatæ rogare examinatorẽ in inſtrumẽto talis vẽditionis ponere manum ſuam, quòd ſi Dominus facere,ſeu rogare denegauerit cõpellatur examinator per Curiam ponere manum ſuam in inſtrumento talis venditionis.

Quam pœnam qui vineam plantatam primo anno & ſecundo & tertio non laborauit,ut promiſit debet pati. Cap. LXXXVI.

Si aliquis accepit terram ad paſtinandum,& eam plantatam,ut promiſit non laborauit primo anno perdat medietatẽ fructus primi anni vineæ non laborate. Si autem non laborauit ſecundo anno ſequenti perdat paſtinator ipſe omnes fructus ſecundi anni. Si vero tertio anno ſequenti non laborauerit, perdat ipſe paſtinator vineam, ſeu iura quæ in ipſa vinea obtinebat, non obſtante aliquo pacto,ſeu pœna appoſita in inſtrumento facto, quando ipſa terra data fuit ad paſtinandum.

Quod quicunque paſtinauerit vineam ſuper terram alterius ipſam nõ debeat vindimiare,niſi per tres dies ante notificet Domino. Cap. LXXXVII.

Cupientes quorundam paſtinantium præſumptuoſam audaciam probabiliter refrenare. Statuimus,quòd quicunq; paſtinauerit vineam ſuper terram alterius ipſam vineam vindimiare non debeat,nec poſsit, niſi prius denunciauerit Domino terræ per tres dies antequàm vindimia fiat, ſeu fuerit facienda, quòd ſi aliquis tantæ temeritatis repertus fuerit,quòd vindimiare præſumat propria auctoritate Domino non requiſito perdat vindimiam illius vineæ pro anno illo,eo ſaluo, quòd ſi in inſtrumento primæuæ

conceſsionis

conceſsionis terræ,ſeu vineæ pactum aliquod appoſitum fuerit inter ipſos, illud debeat integraliter obſeruari.

Quibus modis paſtinator dare debeat terraticum Domino in vuis, vel in vino poſtulanti. Cap. LXXXVIII.

Vt Domino terræ, in qua vinea eſt plantata honor debitus deferatur. Volumus,& mandamus, quòd ſi Dominus vineæ voluerit accipere terraticum ſuum in vinea teneatur paſtinator portare partem vuarum Domino contingentem,uſq; in barcham expenſis ipſius paſtinatoris. Verum ſi Dominus voluerit accipere terraticum ſuum non in vuis, ſed in uino,non in uinea,ſed in ciuitate Iadræ, tunc paſtinator teneatur ſuis expenſis facere deferri vuas ad ciuitatem Iadræ,quo facto in tinacio, ſeu vaſe in quo poſitæ ſunt ipſe vuæ muſtatæ iuxta fundũ per quatuor digitos ponatur vna canella demum quando ipſa barcha cum vuis, & muſto,applicuerit portui,de ipſa canella extrahatur terraticum,ſeu pars Domini. Quam partem Dominus faciat deferri ad domum ſuam ſuis proprijs expenſis.Eo ſaluo, quòd ſi aliquod pactum factum fuerit inter Dominum & paſtinatorem, qui uineã paſtinauerit,ſeu laborauerit ſuper prędictis de quo pacto appareat per publicũ inſtrumẽtũ,volumus,quòd illud pactũ debeat ĩtegraliter obſeruari.

De feudis. Titulus iſte continet vnum capitulum, quòd quicunque acceperit poſſeſsiones in feudum à Comuni,non poſsit eas alienare, ſed ſuis hæredibus relinquere in vltima voluntate, & de fide facienda Comuni per hæredes. Cap. LXXXIX.

Cum poſſeſsiones quæ ſunt Comunis Iadræ per quorundam priuatorũ hominum occupationẽ clandeſtinam damnabiliter inuaduntur ipſa Comunitate carente ſuper hijs legitimo defenſore,uolentes ipſorum malicijs quanta poſſumus induſtria obuiare preſenti ſtatuto decreuimus ordinandum,quòd quicunq; à Comuni Iadræ domum, vineam,terram,aut poſſeſſiones aliquas in feudum accepit,non poſsit eas alicui donare,uẽdere,alienare,ſeu per anima iudicare,ſed ſuis hæredibus poſsit ipſas inter uiuos cõcedere,ac relinquere in ultima uoluntate, qui hæredes in omnibus, & per omnia ad ſimilia teneantur,nec poſsint in alios tranſmittere res prædictas, & teneantur ipſi hæredes infra menſem poſt mortem patris eorum comparere corã Domino Comite,& eius Curia,& ipſis facere plenam fidẽ de omni iure,quod habebat pater eorum à Comuni Iadræ in poſſeſsionibus ſæpe dictis,quo facto Dominus Comes coram iudicibus Curiæ teneatur de nouo ipſos hæredes,& debeat inueſtire de eodem,& in eodem iure,quod habebat defunctus,qui olim ipſas poſſeſsiones à Comuni tenebat,& ipſi hæredes teneantur iurare fidelitatem Domino Comiti,qui pro tempore fuerit,

& eius Curiæ recipienti nomine & uice Comunis Iadræ, ſecundum conſuetudines actenus obſeruatam, de quibus omnibus fiat publicum inſtrumẽtum, cuius ſeries inſtrumenti, ſeu tenor de verbo ad verbum ſeriatim ponatur in uno quaterno collocando in Cancellaria Comunis Iadræ, ut ibidem ad perpetuam rei memoriam conſeruetur, ne ipſe poſſesſiones ualeant in poſterum per aliquos clandeſtine occupari, & occupatas damnabiliter detineri. Hæredes autem in hoc caſu illos intelligi uolumus, & haberi, qui ipſi quondam poſſeſſori defuncto attinebant per lineam aſcendentem, uel deſcendentem, uſq; in infinitum, niſi forte in inſtrumento antiquæ conceſſionis aliud contineatur, ſeu aliter declaretur. Tunc enim pactum in inſtrumentum appoſitum inter Comune Iadræ ex una parte, & defunctum ex altera debet integraliter obſeruari. Verum ſi iſte etiam poſſeſſor non habuerit aliquos hæredes, tunc illa poſſeſsio redeat ad Comune à quo dicitur originem habuiſſe.

De nuptijs, & quorum conſilio filij maſculi, uel fœminæ debeant matrimonialiter alijs copulari, & ſunt quatuor capitula, quòd filia ſub poteſtate patris exiſtẽs matre uiuente nupta fuerit præter conſenſum patris perdat partem, niſi per inſtrumentum iniuria ſit remiſſa, & idem de filio. Cap. XC.

Cupientes, quòd liberi cuiuſcunque ſexus eorum parentibus obſecundent, prout iura poſtulant, & requirunt preciſe ſtatuimus ac firmiter obſeruari mandamus, quòd ſi filiafamilias alicuius ſub poteſtate patris ſui conſtituta matre uiuente nupſerit ſine ipſius patris uoluntate petita habita, & conceſſa perdat partem ſibi contingentem in bonis patris & matris abinteſtato defuncti, niſi ipſe pater, uel mater in uita ipſorum, ſeu alterius eorũ uoluntarie remiſerit per publicum inſtrumentum iniuriam, ſic atrocem eidem filiæ ſe nubere præſumenti pro libito voluntatis patre ipſius inuito, & neſciente, tunc enim talis filia ad partem hæreditatis uenientis, ſibi abinteſtato in hæreditate, & de hæreditate parentis, ipſam iniuriam remittẽtis, poſsit, & debeat ſine iuris obſtaculo peruenire, idem in filio uxorem accipiente ſine patris conſenſu. Volumus intelligi fore ſtatutũ, ac mandamus in oĩbus, & per omnia de ipſo tali filio obſeruari tenaciter & præciſe.

Quomodo filius, uel filia, mortua matre, in poteſtate patris exiſtens, uel mortuo patre ſit in protectione materna ſe ualeat maritare. Cap. XCI.

Si filius uel filia ſub poteſtate patris fuerit mortua matre, aut ſub protectione & defenſione materna patre defuncto. Volumus, quòd liceat eiſdẽ, uel alteri eorum ſe nubere de uoluntate & obtento à ſenſu patris uiuentis

mortua matre,vel matris uiuentis patre defuncto,ſine paterna aliqua,ſeu iuris offenſa,& ſi mater mortuo patre filium, uel filiam uoluerit maritare teneatur ipſa mater requirere quinq; ſaltē de propinquioribus patris, ſeu lineæ maſculinæ ſuper ipſis filijs matrimonialiter copulandis quibus ſic requiſitis poſsit,ac ualeat ipſa mater filium,uel filiam maritare, prout Dominus Deus noſter ſibi conceſſerit, & putauerit filijs ſuis felicius expedire,ac fore eiſdem honorabile & ſalubre.

Qualiter filia ad uiginti annorum peruenta, ſi eam pater, uel mater neglexerit maritare,nubere poſsit. Cap. XCII.

Cum pater uiuens mortua matre, uel mater uiuens patre defuncto,filiā neglexerit maritare, priuſquàm ipſa filia habeat annos uiginti, ſeu antequàm ad ætatem viginti annorū perueniat ipſius filiæ matrimonium, ſine aliqua iuſta,& rationabili cauſa prolongādo etiam poſt uigeſimum annū, tunc liceat ipſi filiæ conuocare quinq; de propinquioribus patris defuncti matre uiuente,uel quinq; de propinquioribus matris mortuæ patre uiuente,ac etiam patrem uiuentem,ſi uoluerit intereſſe, & cum uoluntate ipſorum, uel maioris partis conſilio,& aſcenſu poterit ipſa filia ſe cuicunq; marito licite matrimonialiter copulare,& dotem,ſeu promiſſam percipere debeat,& habere de bonis tantūmodo defuncti parentis non autem de bonis illius parentis, qui uiuit,ſi conſtat ipſum noluiſſe conſentire matrimonio ipſius ſuæ filiæ,ſic nubentis. Verum ſi aliqua filia non ſeruata forma ſupradicti conſilij temeritate propria furore forte amoris bachata ſe præſumpſerit maritare,in omnibus,& per omnia bonis paternæ,& maternæ hæreditatis pœnitus ſit excluſa, nec ad ipſa bona ſpem aliquam habeat perpetuò in poſterum reuertendi,quam pœnā & formam in omnibus,& per oīa in filio, & de filio volumus eſſe ſtatutā,ac mādamus ipſum filiū habere integraliter obſeruare.Si prædictā pœnā filiæ attributā prudēter voluerit euitare.

Quod mater tranſgreſſa ad ſuas nuptias filios,vel filias primi viri abſq; ipſorum propinquorum nequeat maritare. Cap. XCIII.

Ne dolus, ſeu machinatio fraudulenta erga filios per matrem cogitetur & fiat. Volumus & mandamus, quòd mater quæ tranſiuit ad ſuas nuptias non poſsit maritare filium,uel filiam primi uiri ſine uoluntate & conſenſu habito,& obtento quinq; propinquorum ipſius filij,uel filiæ maritandæ,ſub pœna perdendi de bonis ſuis tantum quantum ipſa filia deberet de bonis paternis habere in dotem,uel filius haberet in partem,& ſi filia,uel filius nō haberet quinq; propinquos, uſq; ad quartum gradum, quorum conſenſu mater poſsit,ac debeat poſtulare,tunc poſsit uocare alios qui in inferioribus gradibus maritandis filijs aptinerent.

De iure dotium, & de iure bonorum, ſeu rerum acquiſitarum uxorī ex quacunq; cauſa conſtante matrimonio. Cap. XCIIII.

Si aliqua mulier per iudicium, ſiue ſententiam Eccleſiæ, à uiro ſuo fuerit ſeparata, quo ad thorum, & mutuam ſeruitutē occaſione adulterij perpetrati, ſeu commiſsi per ipſam, & eadem adultera poſtea compareat corā Domino Comite, & eius Curia, ac petat à uiro dotē, ſeu repromiſſam ſuā, uel alia bona data uiro loco dotis. Volumus, quòd illa talis adultera nullatenus audiatur, ſed exterminato furore modis omnibus à iuditiorum tramite repellatur, niſi uiri inconſtantia, & uilitas increpanda poſt ſeparationem factam modo prædicto eandem ſuam vxorem ſibi reconciliaſſet, ſeu adiunxiſſet tractando eam, videlicet, ut uxorem, tunc enim ſi hoc notorium eſſet, ſeu publice appareret, Volumus, quòd ſicut uir eidem uxori perſonam ſuam reſtituit beniuolè, & attentè, ac deuotè, ita bona ſua dotalia eidem uxori reſtituere teneatur in ſuum perpetuum obbrobrium, inconſtantiam, & contemptum.

Quod pater filiam poſsit maritare ad libitum cum dote, dummodo dos non aſcendat ultra quàm ſibi in partem contingerit cum fratribus diuidendo. Cap. XCV.

Si quis filiam cum certa repromiſſa, ſeu dote uoluerit maritare. Volumus quòd eam poſsit maritare pro libito uoluntatis, ſaluo quòd nō poſsit eidem filiæ plus dare in dotem, ſeu nomine repromiſſe quam eidem filiæ ueniret in partem, ſi pater ipſius diſpenſationis tempore omnia bona ſua inter omnes filios equaliter diuiſiſſet, & ſi pater dederit filiæ plus in dotem quàm ſuperius ſit ſtatutum patris filij, & hæredes poſsint poſt mortem ipſius patris petere corā Domino Comite, & eius Curia, ac exigere illud plus integraliter & in totam.

Quod poſſesſio nomine inextimata uiro data non poſsit alienari preter uoluntatem maioris conſilij. Cap. XCVI.

Dotis cauſa ſemper, & ubiq; priuilegiata eſſe debet, quia & reipublice intereſt dotes mulieribus conſeruari cum ualde utile ſit ad ſobolem procreandam & replendam liberis hominibus ciuitatem fœminas eſſe dotatas, & ideo cum aliquis receperit poſſeſsionem aliquam inextimatam nomine totalis dotis uxoris ſue, uel etiam partis dotis, & eam poſtea ipſe maritus uoluerit uendere, uel alienare, ſeu quo quomodo in alium transferre pro ſuis conditionibus meliorandis hoc nullatenus fieri poſsit, etiam ſi ipſa uxor conſenſerit ipſis contractibus, uel alicui prædictorū, nec ſexus muliebris fragilitas in perniciem earum ſubſtātiæ conſiſtantur. Verum de uo-

luntate maioris conſilij Comunis Iadræ, uel maioris partis poſsint fieri prædicti contractus ſuper poſſesſionibus uxoris,ſi uxoris interuenerit uoluntas, auctoritas,& conſenſus.

Quod nulla mulier in Sclauonia maritata poſsit habere partem bonorum parentum. Cap. XCVII.

Si aliquis popularis,uel ruſticus de diſtrictu Iadræ in Sclauoniam filiam ſuam maritaſſet,uel de cetero maritauerit,Statuimus,&inuiolabiliter obſeruari mandamus,quòd illa mulier maritata in Sclauonia partem habere non poſsit de poſſesſionibus paternis, uel maternis aliqua ratione, ſaluo, quòd ſi ille ſclauus uenerit ad habitandum Iadræ, uel in eius diſtrictu, ac fidelis eſſe voluerit Domini Comitis, & eius Curiæ, & comitatus Iadræ. Nam tunc illa talis mulier maritata in Sclauonia partem habere poſsit de maternis,uel paternis poſſesſionibus, ita quòd nec ipſa, nec maritus eius ſclauus poſsit uendere,obligare,permutare,alienare ipſas poſſeſsiones modo aliquo,uel ingenio ex quacunq; cauſa,& ſi fecerit ipſa uenditio,obligatio,permutatio,alienatio,nõ teneat ipſo iure,quod ideo eſt ſtatutum,quia omnes ſclaui idem prius facere,& ſtatuere curauerunt contra homines Iadræ,& eius diſtrictus. Quod ſtatutum non ſolum intelligatur de hominibus diſtrictus Iadræ,& popularibus Iadrenſibus,ſi maritarent filias ſuas in Sclauoniam,ſed etiam de Pagenſibus,& in Pagenſibus,ac in poſſeſsionibus paternæ,uel maternæ hæreditatis eorum uolumus obſeruari.

Quod quælibet maritata habens bona parafrenalia præter dotem vendendi,& uſufructuandi,&c. Cap. XCVIII.

Statuimus, & ordinamus, quòd ſi aliqua mulier nupta habuerit aliqua bona parafrenalia præter dotem ſuam, uel partem bonorum quæ habentur loco dotis, puta quia habuerit dimiſſoriam,uel donationem eidẽ mulieri factam à parentibus,uel conſanguineis ſuis,uel à quacunque alia perſona ſit ipſa mulier domina,tum de ipſis dimiſſoriis,ſiue donis,tum etiam de redditibus ipſorum bonorum etiam marito eius uiuente,& de ipſis habeat plenisſimam poteſtatem dandi inter uiuos, & relinquendi in ultima uoluntate pro libito uoluntatis contradictione uiri, uel alterius perſonæ nullatenus obſiſtente.

Quod uxor de bonis cauſa dotis uiro asſignatis quicquam alienare,&c. Cap. XCIX.

Volumus & mandamus, quòd uxor nõ poſsit uendere,obligare, ſeu alienare quocunque modo aliquid de bonis aſsignatis uiro per uxorem occa-

ſione dotis. Vel de bonis quæ peruenerunt in partem ipſi uxori uiro uiuente, ſed in ultima uoluntate poſsit relinquere, prout ſibi uidebitur, & congruum fuerit rationi, quòd; ſi uxor alicuius contra hoc fecerit nulla ſit talis alienatio ipſo iure, nec marito eius ualeat ipſa alienatio præiudicium aliquod generare.

Quod inextimata poſſesſio in dotem data prius per Curiam extimetur. Cap. C.

Quædam mulier uirum accepit quæ quaſdam terras, uel poſſesſiones in extimatas dedit in dotem, ſeu in partem uiro ſuo. Iſte maritus in terram vineam de nouo plantauit in poſſesſionem, domum de nouo edificauit. Volumus, quòd plantata de nouo uinea, cum terra uxoris, edificium de nouo edificatum, cum poſſesſione uxoris ad maritum plantantem, ſeu edificantem pertinere debeat pleno iure, ſed ne eadem uxor in terra, ſeu poſſeſſionibus datis inextimatis in dotem, ſeu in partem poſsit in poſterum per maritum defraudari, mandamus, quòd terra illa, ſeu poſſesſio debeat ante oĩa per Curiam extimari quantum ualet tẽpore quo uinea debet per maritum plãtari de nouo, ſeu in ea edificari, uel fabricari de nouo, & tantũ quantum fuerit extimata. Maritus ipſe eidem ſue uxori debeat aſsignare, vel ſaltem maritus teneatur uxori facere inſtrumentum de augumẽto dotis de tanta quantitate pecuniæ, quanta uxoris poſſeſsio fuerit per Curiam extimata. Et ſi aliter maritus in poſſeſsionibus uxoris non extimatis, de nouo edificauerit, aut de nouo plantauerit totũ perdat, & uxoris dominio & poſſesſionibus applicetur, ita quòd maritus nil in perpetuum poſsit re petere ab uxore, uel eius hærede, pro edificio vel plãtatione factis in rebus uxoris.

Quod ſi uir ſuper bonis uxoris inextimatis ob reparatione uineæ, uel domus factam expendit libras. L. uel minus, nil repetere poſsit abinde ultra, &c. Cap. CI.

Cum maritus aliquis in poſſeſsionibus, uel terra vxoris non extimatis nõ edificauit de nouo, ſed reparauit, ſeu reedificauit neceſſario in totum, vel in partem in domo, uel uinea uxoris ſi quidem expendit maritus quinquaginta libras denariorum Venetorum paruorum, uel minus in ipſa tali reparatione nihil ipſe maritus repetere poſsit, aut debeat ab uxore, uel ab eius herede, ſi uero reparatio, ſeu reedificatio facta in rebus uxoris conſtaret ultra quinquaginta libras paruorum, & conſtiterit quòd maritus reedificaſſet, ſeu reparaſſet de uxoris ſpontanea uoluntate, tunc maritus poſsit ab uxore petere & habere in tantum in quantum eum conſtiterit expendiſſe.

Qui filij ſunt legitimi, & qui non. Quomodo filius natus ante contractum matrimonium ex muliere & uiro abſol.&c. Cap. CII.

Si filius natus fuerit ex libera muliere abſoluta, & uiro abſoluto antequam ipſe uir eandem mulierem,ſibi matrimonialiter copularet, ſi pater prædicti filij cum eadem muliere matrimonium, deinde contraxerit filius antea natus legitimus filius,reputetur,& habeatur ipſo iure,& ſit hæres in bonis paternis, & maternis perinde, ac ſi natus fuiſſet poſt matrimonium conſumatum,& ſuccedat lege iubente in hæreditatibus prædictorum.

Quod per famam publicam quemcunq; fore alicuius filius comprobatur. Cap. CIII.

Si publica fama fuerit,quòd aliquis fuerit filius alicuius,uel filia non ſit neceſſe,quòd ſuper hoc aliqua probatio exigatur coram Domino Comite & Curia, Idem dicimus de conſanguineis nepotibus & propinquis.

Per quas perſonas nobis acquiritur,ſeu de iure,quòd patri acquiritur in rebus filijsfamilias derelictis.Titulus iſte continet vnum capitulum. Cap. CIIII.

Cum filio alicuius patre ſuo uiuente in cuius eſt poteſtate aliquod legatum, ſeu dimiſſoria fuerit derelicta. Volumus,quòd ipſius dimiſſorie dominiū ad ipſum filiumfamilias pertineat pleno iure.Veruntamen pater ſub cuius eſt poteſtate ipſe filius poſſit uti & frui fructibus ipſius dimiſſorie ad ſuā uoluntatē & utilitatē donec ipſum filiū ſub ſua retinuerit poteſtate.

De teſtamentis, & quemadmodum teſtamenta debeant ordinari. Titulus iſte continet xj.capitula,quod cuicunq; liceat ſua propria manu ſcribere ſuum teſtamentum,& noto ſigillo. Cap. CV.

Cum ultima cuiuſcunq; teſtatoris diſpoſitio lex ſancta appelletur à iure ad hanc ſanctam legem, ſeu teſtamētum vltimum, Volumus & mandamus unumquemq; ciuitatenſem & Iadrenſis diſtrictus per infraſcripta itinera, & doctrinam ſalubriter ambulare,ac ſecuriter diſponere pro anima & corpore omnia bona ſua. Et ideo cum aliquis cuiuſcunq; conditionis,uel ſexus exiſtens ſuam uoluerit, ſeu elegerit condere ultimam uoluntatem, & ſua propria manu ſuum uoluerit ſcribere teſtamentum, habeat licentiam faciendi quod optat,& tale teſtamētum ualeat,nec ſit caſſum eius iudiciū, ſed firmum & ratum omnimodo habeatur, ſi in ipſo teſtamento contineatur annus, menſis, & dies conditi teſtamenti. Item ſi illud teſtamentum

cum ſuo notorio, ſeu conſueto ſigillo ſigillatum, uel eius exemplum, nullo addito, diminuto, ſeu mutato depoſitam reperiatur in uno de ſex locis infraſcriptis. Puta in camera, ſeu procuraria Comunis Iadrenſis, uel in ſecreſtia domus fratrum Minorum, uel in ſecreſtia domus fratrum prædicatorum, uel in ſecreſtia domus dominarum ſanctæ Nicholæ de ordine ſanctæ Claræ, uel in ſecreſtia domus Monialium ſanctæ Mariæ de Melta, extra ciuitatem, uel in ſecreſtia domus Monialium ſanctæ Mariæ intra ciuitatem.

Quæ ſolemnitas in teſtamento per tabellionem ſcripto iuſſu teſtatoris habentis in bonis. Cap. CVI.

Si per manum tabellionis quiuis teſtator cuiuſcunq; ſexus fuerit ſuum ſcribi uoluerit, & facere teſtamentum, præcipimus, & mãdamus, quòd quæcunq; perſona habilis ad teſtandum, ſi habuerit in bonis à libris cẽtum denariorum Venetorum paruorum ſuperius teneatur, poſsit, & debeat in ciuitate Iadræ taliter condere teſtamentum. Primo nanq; uolumus, quòd teſtator conuocet, ſeu conuocari faciat tabellionem quem roget ſuum ſcribere teſtamentum, cuius tabellionis officium eſt ſeriatim, & diſtinctè, de uerbo ad uerbum notare in ſcriptis uoluntatem teſtantis, & nomina hæredum cum noto cognomine, ac legata, & fideicõmiſſa, cum choerentijs opportunis, prout placuerit, & uoluerit ipſe teſtator. Secũdo uolumus, quòd illud teſtamentum legatur in preſentia duorum teſtium rogatorum maſculorum bonæ famæ, & opinionis. Tertio uolumus, quòd teſtamentum ſcriptum per tabellionem approbetur per teſtatorem coram uno de Procuratoribus Comunis Iadræ, uel coram uno de examinatoribus Comunis Iadræ, vel coram uno de Iudicibus maioris Curiæ Comunis Iadræ, unus quorum neceſſario ad hoc, ut ualeat teſtamentum debet, & habet ibidem preſentialiter intereſſe, cuius procuratoris uel Iudicis, ſeu examinatoris officium erit in hoc caſu ipſam cedulam approbatam per teſtatorem coram teſtibus, & ipſo procuratore, uel Iudice, ſeu examinatore ſerare, uel claudere, deinde ſuo notorio ſigillo ſigillare. Ita quòd nihil poſsit ibidẽ addi, minui, ſeu deſtrui à quocunq;. Poſt hæc ipſam cedulam ſic ſeratã, & ſigillatam, idẽ procurator, uel Iudex, ſeu examinator tabellioni ad gubernandum tradere teneatur. Quarto uolumus, quòd ipſe procurator, uel Iudex, ſeu examinator antequàm cedula aperiatur ſuum ſigillum integrum, & ipſam cedulam recognoſcat, deinde ipſam aperiat, ac apertam mandet, faciat, ac procuret poni in imbreuiaturis ipſius tabellionis ipſo preſente, & aſsiſtente, donec perfecte integraliter, ſeu re uera eius tenor poſitus fuerit in quaterno, quo facto procurator ipſe, vel Iudex, ſeu examinator teneatur ſecum deferre cedulam, ac ipſam fideliter ſeruare, & gubernare, quouſque notarius in publicam formam compleuerit teſtamentum, & quouſque procurator ipſe, uel Iudex, ſeu examinator in ipſo teſtamento cõpleto poſuerit manum

ſuam

ſuam poſt quæ ipſe Procurator, uel Iudex, ſeu Examinator poteſt, & debet eidem tabellioni reſtituere cartam primitus conſeruatam.

Quod Procurator, Iudices, & Examinatores ſuum conſuetum ſigillum, &c. Cap. CVII.

Ad pleniſsimam inſtructionē quorumlibet Procuratoris, Iudicis, & Examinatoris Comunis Iadræ, & obſeruationē ſupraſcripti ſtatuti. Volumus, præcipimus, & mandamus, quòd quilibet prædictorum officialium Comunis Iadræ teneatur ſemper in uirtute præſtiti ſacramēti deferre ſecū ſuum ſecretum, & conſuetum ſigillum, vt quantum in ſe eſt inueniat ſe prompte munitum ad ſuum officium exercendum cum ipſo quando ad teſtamentū alicuius perſonæ contigerit aliquem de prædictis officialibus euocari.

Quod duo teſtes ſufficiunt cum teſtator habens libras centum, & abinde inferius, &c. Cap. CVIII.

Si teſtator habuerit in bonis centum libras denariorum Venetorum paruorum, uel abinde inferius ſatis prouide putauimus fore ſibi conſultum, ſi ſuum confici faciat teſtamentum per tabellionem Iadrenſem coram duobus teſtibus tantum ſecundum conſuetudinem diucius approbatam, & uſque ad hæc tempora hactenus obſeruatam.

De teſtamentis in villa conficiēdis, & eorū forma. Cap. CIX.

Cum aliqua perſona de Iadra, uel eius Comitatu in uilla, aut loco, ſeu Inſula Iadren. diſtrictus fuerit in quo, uel qua ſuum uoluerit facere teſtamentum. Volumus, quòd poſsit facere teſtamentum coram quatuor teſtibus poſtquàm ipſi quatuor teſtes uocati ad teſtamentum talis teſtatoris uenire teneantur, & debeant infra quindecim dies poſt mortem ipſius teſtantis coram Curia ad perhibendum teſtimonium veritati re uera ſine comixtione aliqua falſitatis, ſuper omnibus, & ſingulis, quæ ipſe teſtator, ſeu teſtatrix ordinaſſe, uoluiſſe, præcepiſſe, & mandaſſe dicitur. Et tunc ſi Domino Comiti, & eius Curiæ uidebitur, quòd teſtes ſint legales, & fide digni, ex dictis eorum mandet Dominus Comes, cum Curia fieri publicum inſtrumentum cui inſtrumento Procurator, uel Iudex, ſeu Examinator debeat ponere manum ſuam, & illud tale inſtrumentum loco teſtamenti, & tanquàm teſtamentum ab omnibus communiter habeatur, & uniuerſaliter obſeruetur, quòd inſtrumētum, uel teſtamentū cuiuſcunq; ciuis Iadrenſis factum in villa, uel Inſula, ſeu in quocunq; alio loco Iadrenſis diſtrictus, ſeu quòd breuiarium teſtium factum modo prædicto, ita demum valere, volumus, ac habere pleniſsimam firmitatē, ſi ipſe ciuis Iadrenſis, qui teſtamen-

tum fecit in aliquo de locis prædictis, moriatur ibidem, & non aliter, quia ſi euadet, & uiuens exeat de loco in quo taliter eſt teſtatus eius teſtamentum factum in villa, Inſula, uel alio loco Iadrenſis diſtrictus non valeat ipſo iure. Sed breuiarium illius perſonæ quæ aſsidue, & ſemper moratur in villa, in Inſula, uel alio loco Iadrenſis diſtrictus, ſeu teſtamentum eius factum per breuiarium teſtium omnimodo valeat, & ſit firmum, ſiue ille qui fecit tale teſtamentum moriatur ibidem, & de ipſa infirmitate, ſiue moriatur alibi, & de iſta, uel de alia infirmitate.

Quod breuiarium non poſsit derogare teſtamentũ, &c. Cap. CX.

Si teſtamentum aliquod factum eſſe quocunque tempore reperiretur per aliquem ciuem Iadrenſem, aut per aliquem habitatorem comitatus Iadræ, ſiue per manum propriam teſtatoris, ſiue per manum tabellionis, ſecũdum præcepta ſtatutorum loquentium de teſtamẽtis fiendis modo, & forma quæ in ipſis ſtatutis plenius continentur. Volumus, præcipimus, & mandamus, quòd breuiarium aliquod, ſiue inſtrumentum extractum ex quatuor dictis teſtium, nec aliqua alia quorũcunq; probatio teſtium poſſit, nec debeat aliquod præiudicium generare teſtamento rite, & ſecundũ formam noſtrorum ſtatutorum ſolemniter ordinato.

Cum minor habens quindecim annos poſsit condere teſtamentum. Cap. CXI.

Si aliqua perſona minor annis viginti poſtquàm peruenerit ad ætatem quindecim annorum timore mortis facere uoluerit teſtamentum, habeat liberam poteſtatem teſtandi de bonis ſuis acquiſitis ſibi ex quacunq; cauſa prout ſibi placuerit, quia nihil eſt quòd magis hominis ſit ſalubre quàm ut liber ſit ſtilus ſuæ ultimæ uoluntatis, ac liberum obtineat teſtandi arbitrium ad quod amplius redire non poteſt.

Cum mulier maior annis quindecim de repromiſſa, &c. Cap. CXII.

Volumus, quòd mulier maior quindecim annorum exiſtens ſana mente quamuis corpore infirma poſsit de dote ſua, ſeu repromiſſa, & ſuper omnibus bonis ſuis facere teſtamentum, & ipſa relinquere & diſponere prout ſibi placuerit dum tamen ipſa non relinquat perſonis prohibitis per ſtatuta comunis Iadræ.

Quod nulla perſona ingreſſa monaſterium, &c. Cap. CXIII.

Cum aliquis, uel aliqua ingreſſus, uel ingreſſa monaſterium ante profeſſionem ſuam, nullum condiderit teſtamentum. Nolumus, quòd poteſt pro-

feſsionem ſuam, deinceps perpetuò poſsit facere teſtamentum, ſeu condere quamcunque aliam uoluntatem.

Quod menorica ſuccedere poſsit in bonis paternis, &c. Cap. CXIIII.

Tenore preſentium ordinamus, quòd quelibet pizochara, ſeu menorica ex teſtamento ſuccedere ualeat, atque poſsit in bonis paternis & maternis, dũmodo non poſsit habere de ipſorum bonis maiorem partem, quam haberet ſi fuiſſet maritata, ſeu quam ſibi debere dari in partem ſecundum facultatem bonorum patris & matris, ſi ipſam contingerit maritari.

Qualiter prohibetur mentecapto condere teſtamentum. Cap. CXV.

Auctoritate huius ſtatuti irreuocabiliter prohibemus, ne aliquis mentecaptus durante infirmitate, ſeu furioſus durãte furore poſsit de bonis ſuis facere teſtamentum, codicillum, ſeu aliquam aliam vltimam uoluntatem, quicquid autem fuerit in contrarium attemptatum non ualeat, nec optineat aliquam infirmitatem, ſed ſit irritum ipſo iure.

De exhereditate liberorum. Continet iſte titulus duo capitula.
Qualiter pater poteſt exheredare filios nuptos contra ſuam voluntatem. Cap. CXVI.

Si pater, uel mater aliquem filium, vel filiam in ſuo teſtamento exheredare voluerit, ex eo, quòd ipſe filius, vel filia ſe nupſerit pro libito voluntatis ſine ipſius patris, & matris voluntate, petita, habita, & cõceſſa, volumus, quòd hoc ſit in arbitrio eorundem, & in ipſorũ remaneat libera voluntate.

Quod ſi pater, & mater in teſtamento de filijs contra ſuam, &c. Cap. CXVII.

Quotiens pater, & mater filium aliquem, vel filiam qui ſe nupſerit, pro libito voluntatis non habita licentia patris, vel matris in teſtamento non exheredauerit, nec etiam inſtituit hæredem, ſed de ipſo filio, vel filia taliter ſe nubenti nullam curauit pater, vel mater fecere mentionem in teſtamento. Volumus, quòd eo ipſo tacite ipſe filius, uel filia excluſus intelligatur protinus & omnino à parentum hæreditatibus ſupradictis, ſeu ab hæreditate illius parentis qui de tali filio, vel filia in ſuo teſtamento mentionem facere non curauit.

De codicillis. Titulus iſte continet vnum capitulum.
Cap. CXVIII.

Quia ſæpe contingit, quòd poſt factum teſtamentum, teſtator, ſeu teſtatrix uellet diminuere aliqua legata in ipſo teſtamento relicta, aut eſto, quod teſtator, ſeu teſtatrix nullum fecerit teſtamentum uellent ſerioſe decedere inteſtati, & aliqua relinquere legata aliquibus perſonis. Volumus, & auctoritate huius ſtatuti permittimus, quòd quilibet cuiuſcūq; ſexus poſſit facere codicillos pro libito voluntatis non ſolum quando nullum fecerit teſtamentum, ſed etiam ſi aliquod fecerit teſtamentum, cui intendit aliquid addere, vel diminuere, dum tamen in illis codicillis non poſsit aliquē inſtituere hæredem, ſeu totalem hæreditatem relinquere alicui. fient autē codicilli cum duobus teſtibus per tabellionem Iadrenſem, quibus perfectis examinator debet ponere manū ſuam infra tēpora ordinata ad hoc, vt ipſi codicilli plenißimā habeant firmitatē, quibus oībus, vel aliquo eorum deficientibus facti, aliter codicilli ipſo iure nullius ſint valoris.

De fidei cōmiſſarijs relictis in teſtamēto, ſeu datis per Curiam, & de ipſorum officio, ſeu poteſtate. Cap. CXIX.

Statuimus & ordinamus, quòd aliquis cuiuſcunque ſexus, conditionis, vel ſtatus exiſtens, in ſuo teſtamento cōmiſſarium aliquem relinquere non valeat, nec poſsit, qui non ſit de temporali iuriſdictione domini Comitis, & Iadrenſis Curiæ, & ſi aliter factum fuerit, ſeu præſumptum non valeat teſtamentum illius, nec ex tali teſtamento quiſquàm ius aliquod habeat poſtulandi, niſi forte teſtator, qui perſonam in cōmiſſarium ordinauerit, non ſubiectam in teſtamēto, vel alia vltima voluntate verba addiciat infraſcripta videlicet, quòd ordinat, ſeu facit illum clericum, ſeu perſonam non ſubiectam temporali iuriſdictioni domini Comitis tali pacto & conditione, & modo, quòd de ipſa cōmiſſaria teneatur coram domino Comite, & eius Curia reſpondere, & ſatisfacere de petitis, tunc enim ualeat teſtamentum, & teneatur cōmiſſarius coram Iadrenſi Curia reſpondere pœnitus, & omnino, ſi ipſius cōmiſſariæ officium deſiderat exercere.

Quod Curia tenetur addere duos cōmiſſarios, cōmiſſarie qui temporalem, &c. Cap. CXX.

Quotiens aliquis de temporali iuriſdictione domini Comitis, & Iadrēſis Curiæ factus, vel relictus fuerit Cōmiſſarius in teſtamento alicuius, & iſte talis cōmiſſarius de iuriſdictione temporali Iadrenſis Curiæ alienum forum, ſeu iuriſdictionem poſtea ſorciatur, & laycorum iuriſdictionē pœnitus derelinquat. Dominus Comes & Curia, qui pro tēpore fuerit addat duos alios cōmiſſarios illi tali cōmiſſario, qui alienum forum poſtea acceptauit, ſeu etiam acquiſiuit, & quòd maior pars iſtorum fecerit firmum ſit, & modis omnibus impleatur, niſi forte iſte cōmiſſarius qui temporalem

iuriſdictionem mutauit,& clericus,aut religioſa perſona eſt factus promittat ante clericatum, & voluntate ſpontanea ſe ſubijciat, & poſt clericatum temporali iuriſdictioni domini Comitis, & Iadrenſis Curiæ, tunc enim ſi de ipſa cōmiſſaria coram Curia Iadrenſi reſpondeat re uera ſuum cōmiſſariæ officiū ſolus poterit exercere ſine additione alterius cōmiſſarij.

De inuentarijs conficiendis & forma. Cap. CXXI.

Ad hoc,vt repellatur à quibuſcunq; perſonis occaſio malignandi, & cuiuſcunq; animus incitetur ad ſibi cōmiſſum officium fideliter exequendū, ac vt bona defunctorum inſtitutis hæredibus ſine diminutione aliqua integraliter conſeruentur.Statuimus,quòd quilibet cōmiſſarius cuiuſcunq; cōditionis,ſexus,vel ſtatus,etiam ſi fuerit vxor,ſiue relicti fuerint in teſtamēto,uel quacunq; alia vltima voluntate, ſiue etiam dati fuiſſent per Curiam Iadrēſem,teneantur ipſi cōmiſſarij inchoare,ſeu incipere inuentarium per ſe,vel per legitimum procuratorem infra quindecim dies mortuo teſtatore, aut poſtquàm ad ipſorum, ſeu ipſius notitiam peruenerit ipſos fuiſſe factos cōmiſſarios corā domino Comite, & eius Curia,& inchoatum inuētarium poſtea perficere infra ſexaginta dies,in quo quidem inuentario coram ipſo domino Comite,& eius Curia ipſi cōmiſſarij ante oīa infra quindecim dies prædictos ponant venerabile ſignum Crucis, demum ſubſequētur ponant oīa bona mobilia & īmobilia,ac ſe mouētia,atq; iura,& actiones debita, & credita ſingulariter & diſtincte & clare cū noīe & cognomine à coherentijs opportunis,quæ reperta fuerunt in hæreditate,in qua facti ſunt fidei cōmiſſarij generales, vel ſi ſunt fiendi ſpeciales,tunc ponantur in inuētario illę, tantummodo res in quibus fuerunt cōmiſſarij ordinati, & non aliæ. Quibus ſic peractis ante exitum prædictorū ſexaginta dierum ſupradicti cōmiſſarij,ſic conſtituti teneantur, & debeant ipſam cartulam in qua poſitū fuerit ipſum inuentariū,atq; ſcriptū deferre,vel deferri facere ad dominūComitē,& eius Curiā,qui dominus Comes & eius Curia faciat ipſum inuentarium in cuſtodia,& ſaluamēto poni in procuraria Comunis Iadræ. Quod ſi aliquis de cōmiſſarijs antedictis tantæ temeritatis fuerint, quòd non faciat inuentarium,vt eſt dictum infra tempora ſupradicta, ſi aliquid eſt ſibi relictum in teſtamento, vel alia vltima voluntate perdat illud, & ſi iam ſibi recepiſſet illud ſibi relictum de hæreditate haredi reſtituere compellatur. Item per Iadrenſem Curiam tanquàm ſuſpectus de ipſa commiſſaria terribiliter expellatur.

Quod mulier viduata tranſiens ad ſecundas nuptias à commiſſaria,&c. Cap. CXXII.

Recolentes quod ſcriptum eſt in iure, quòd mulieres quæ tranſeunt ad

ſecundas nuptias non ſolum bona filiorũ primi matrimonij traderent, ſed etiam vitam ipſorum filiorum ſi poſſent addicerent ſecundis viris. Statuimus, quòd quandocunq; aliqua mulier vidua relicta fuerit in teſtamento viri ſui cõmiſſaria, uel viro mortuo abinteſtato fuerit per Iadrenſem Curiã cõmiſſaria conſtituta, ſi ipſa mulier ad ſecunda vota iuerit, ſeu ad ſecundas nuptias voluerit, ſeu elegerit conuolare eo ipſo ſtatim, & in continenti auctoritate huius ſtatuti eadem mulier intelligatur eſſe extra ipſam cõmiſſariam, ac per maiorem Curiam compellatur hæreditatem dimittere, & rationem reddere de adminiſtratis per ipſam, ac omnia bona quæ ad ipſam peruenerunt bona fide integraliter aſsignare, & tradere illis ad quos pertinent ipſa bona de iure. Verum ſi eadem vidua ad ſecundas nuptias conuolante remanſerint duo cõmiſſarij, ſiue teſtamentarij, vel datiui ipſa totalis hæreditas in adminiſtratione ipſorum duorum remaneat aliquo alio commiſſario non adiuncto, ſed ſi unus tantum remanſerit cõmiſſarius, tunc Iadrenſis Curia alium bonum & legalem de propinquioribus defuncti inſtituat cõmiſſarium, cui una cum alio ipſius hæreditatis adminiſtrationem committat, Ita quòd ſemper ſaltem duo cõmiſſarij reperiantur eſſe in adminiſtratione hæreditatis defunctæ perſonæ.

Quod mortuo teſtatore cõmiſſarij hæreditatem apprehendant. Cap. CXXIII.

Prouide, & vtiliter putauimus ordinãdum, quòd mortuo teſtatore, qui in teſtamento ſuo, ſibi generales cõmiſſarios ordinauit ipſi cõmiſſarij debeant apprehendere totalem hæreditatem defuncti, ſeu bona mobilia, & immobilia, & ſe mouentia, ac iura & actiones, quæ per ipſum defunctum poſſidebantur tempore vitæ ſuæ, quibus bonis apprehenſis ille, uel illi, cui, vel quibus relictum fuerit aliquod legatum, ſeu aliqua dimiſſoria debeat, vel debeant à cõmiſſariis defuncti petere dimiſſoriam ſeu laſſum iure teſtamenti, ſeu codicillorum, uel alterius vltimæ voluntatis, in qua dicitur fuiſſe relictum, & tunc ipſi cõmiſſarij debent de ipſo legato, ſeu dimiſſoria integraliter ſatisfacere omnibus quibuſcunque perſonis prout teſtator ipſe voluit & mandauit. Et ſi ipſi commiſſarij voluerint cartam factæ ſolutionis de legato, ſeu dimiſſoria ſolutis integraliter, & pagatis illi qui recipiunt dimiſſoriam teneantur facere ipſis cõmiſſarijs ſecuritatis plenariam cautionem, uerum ſi ipſi cõmiſſarij ſe opponant & contradicant illi, vel illis, quibus taliter eſt dimiſſum, propter quòd inter illos ex una parte, & cõmiſſarios ex altera parte ſuper dicta dimiſſoria ſuborta eſt materia queſtionis, tollatur, & difiniatur, ipſa queſtio pro Curiam ſumarie, & ſine modo, & figura iudicij prout viſum fuerit Curiæ, Ita tamen quòd nulla diſtricta dari debeat per Curiam, ſeu poſſit, iſta de cauſa, ſeu in tali caſu, immo, ſine dilatione diſtrictæ ipſa queſtio velociter terminetur.

Qualiter pecunia in hæreditate inuenta incole,&c.
Cap. CXXIIII.

Si aliquis cōmiſſarius quarumcunque perſonarū inuenerit pecuniam in hæreditate in qua fuit fideicōmiſſarius factus. Volumus,quòd illam pecuniam poſsit dare in collegantia,in Ciuitate Iadræ,prout ſibi melius uidebitur,& non alibi,& quando dedit in collegantiam ipſam pecuniā faciat inde fieri publicum inſtrumentum, cui duo examinatores debeant ponere manum ſuam,verum ſi ipſe cōmiſſarius prohibeatur per teſtatorem,ne pecuniam inuentam in hæreditate det in collegantiam,tunc ipſe cōmiſſarius nullo modo debeat ipſam pecuniam alicui in collegantiam aſsignare.

Qualiter tutores dari debent, ſeu cōmiſſarij pupillis non habentibus. Cap. CXXV.

Si dum filij eſſent in ætate pupillari creditores ipſorum inſtarent ad ſibi debitum perſequendum,eorum tutores,vel cōmiſſarij ueniant cum matre pupillorum per ſe,uel per legitimum procuratorem coram Curia de iure ipſis creditoribus reſponſum,Verum ſi pupilli nullos haberent cōmiſſarios generales, vel tutores propinqui pupillorum dentur ipſis pupillis per Curiam in tutores.

Quando aliquis dicitur decedere inteſtatus, quibus caſibus aliquis dicitur mori inteſtatus. Cap. CXXVI.

Plerunque dubitatur à multis quādo aliqua perſona mori dicitur inteſtata, & ideo volentes hanc dubitationem preſenti ſtatuto lucide aperire. Volumus,præcipimus,& mandamus,quòd ille, vel illa intelligatur mori inteſtatus,vel inteſtata,qui,uel quæ,antequàm moriretur nullum omninò condidit teſtamentum. Item ille,vel illa,dicitur mori inteſtatus, ſeu inteſtata fecit teſtamentum,ſed in eo faciendo non ſeruauit ſolennitatem contentam in ſtatutis Comunis Iadræ loquentibus de teſtamentis faciendis, ſeu ordinandis. Item mori quis dicitur inteſtatus, vel inteſtata, quando aliquis,vel aliqua iure & ſecundum ſtatuta Comunis Iadræ fecerit teſtamentum, ſed poſtquàm factum fuerit nati ſunt ſibi unus,uel plures filij,vel filiæ de quibus ipſe teſtator,vel teſtatrix nullam in ſuo teſtamento fecerit mentionem. Item mori quis dicitur inteſtatus,vel inteſtata , quando facto teſtamento ſolemniter,& ſecundum ſtatuta Comunis Iadræ ab hac luce deceſsit,ſed ille,vel illa,qui, vel quæ ſcriptus,ſeu ſcripta hæres erit in ſuo teſtamento,hæreditatē ipſius decedētis non vult apprehendere,vel habere, quibus omnibus quatuor caſibus quis non dicit inteſtatus,vel inteſtata.

De hæreditatibus quæ ab inteſtato deferuntur quibuſcunq; perſonis iure ſanguinis. Titulus iſte continet xiij. capitula, qualiter filij mares cum ſororibus, & ab ipſis &c. Cap. CXXVII.

Sicut iuſtum, & omni cõgruum rationi putamus, vt liber ſit ſtilus voluntatis vltimæ omnium decedentium poſtquàm aliud eſſe non poteſt. Ita iuſtiſsimum eſſe credimus & putamus, ut circa eorum bona, ſeu hæreditates qui deficiunt inteſtati diſcrete, & cum omni diligentia ſtudioſius, & ſerioſius inſurgentes de hijs plenarie diſponamus, iuxta veriſimilem decedentium voluntatem, ac vtilitatem illorum, qui iure ſanguinis, ſeu proximitatis debent illi ſuccedere, qui moriuntur ab inteſtato, ſeu nullo condito teſtamento. Ideo quæ ſancimus cum quis moritur inteſtatus ſi filios tantum relinquit, illi equaliter veniant ad ſucceſsionem; Ita, quòd ſi aliquis filiorũ diuiſus erat à patre per ſecuritatem tantum minus percipiat quantum à patre habuit. Si autem ſuperſunt filij & nepotes ex filio iſti ſuccedant, ita quòd nepotes tantum habeant, quantum pater eorum ſi uiueret, & illud inter ſe equaliter diuident, & ſi ipſi diuiſi fuerint ab auo tantum minus percipiant, quantum ipſi habuerunt ab alio, & ſi unus ex ipſis nepotibus diuiſus fuerit in ſua parte, tantum imputetur, quantum habuit ab auo. Si vero defunctus relinquit tantum nepotes ex uno filio, illi tantum habebunt; & ſi vnus eorum, vel plures diuiſus, vel diuiſi fuerint ab auo. Idem obſeruetur, vt ſupra dictum eſt. Si autem relinquit nepotes ex pluribus filijs maſculis, iſti totum percipiant, & tantũ habeant nati ex vno filio, quàmuis ſint pauciores, quantum nati ex alio, licet ſint plures. Ita, quòd ſi aliquis fuerit diuiſus ab auo, idem obſeruetur ut ſupra. Idem dicimus in quolibet maſculo deſcendente per maſculinum ſexum à defuncto. Et uolumus, quòd ſi filius, uel nepos, uel quilibet deſcendens à maſculino vxorem acceperit, & dotem habuit pater eius, vel auus, vel alius de aſcendentibus eam percipiat ante partem ipſe, vel heres eius de bonis mobilibus tantum. Si vero defunctus reliquit filium & filiam, vnum, uel vnam, vel plures. Volumus, quòd ſi filia non fuit, nec eſſe vxorata in bonis mobilibus patris equaliter ſuccedat cũ filio defuncti, & nihil habeat de immobilibus, ſi mobilia ſufficiant, ſibi ad talem dotem, cum qua poſsit cõgrue vxorari, & ſi ſibi videtur, quòd non ſufficiant, & filius noluerit amplius ſibi dare, tunc liceat ipſi mulieri cum fuerit in ætate fratre ſuo vocato, ſi fuerit ad ætatem, & ſi non fuerit ad ætatem, etiam non vocato conuocare tres, vel quatuor de propinquis ſuis ex parte patris, & totidem ex parte matris ſi eos habent, vel tantum ex altera parte, ſi ſibi videtur, vel iudices examinatores tantum, ſi mulier voluerit qui propinqui, vel iudices diligenter videant. Verum pars mulieris mobilium ſit tanta quæ ſufficiat ad dotem, cum qua poſsit congrue vxorari, uel non, & ſi inſpecta qualitate mulieris, & quantitate bonorum quæ habent,

bent,& etiam alijs circunſtantijs apparuerit eis omnibus, vel maiori parti eorum,quòd pars ſua mobilium ſufficiat ei ad dotem ſit contenta mulier parte illa,alioquin ipſi decernant talem dotem cũ qua poſsit congrue vxorari, & totum hoc facere debeãt ipſi propinqui,infra quindecim dies, poſt quàm factum in ſuo arbitrio receperunt. Si autem ipſi propinqui non poterint,vel noluerint concordare, infra dictum tempus, vel tot ſunt, ex una parte,quot ex alia, tunc deducatur factum ante Examinatores Iudices, ſi mulier vult,vt & ipſi infra quindecim dies poſtquàm factum coram eis deductum fuerit,dicant ſuper hoc,quod ſibi videtur, & ſi per ſententiam dixerint quod pars mobiliũ mulieris ſit eis ſufficiens ad matrimonium congruum contrahendum ſit contenta mulier parte illa,alioquin ſtatuent Iudices maiorem dotem ſecundum quòd eis videbitur. Eodem modo determinare debent Iudices, quando parentes mulieris ſe ſuper his nolunt, vel non poſſunt intromittere,uel quando mulier non habet parẽtes Iadratinos,quòd ſi manifeſtum eſt,quòd pars mulieris mobilium nõ ſufficit,vel propinqui,ſeu Iudices dixerint eam partem non ſufficere, & dotem ſtatuerint congruam.Item etiam,quando nihil eſt de mobilibus, volumus,quòd in poteſtate filij ſit,ſi ætatem habuerit vtrum velit totam dotem dare,quãdo nihil eſt de mobilibus,ſeu ſupplere dotem,quando aliquid eſt de mobilibus,& omnia immobilia ſibi retinere, vel cũ filia defuncti ſorore ſua omnia,tam mobilia,quàm immobilia diuidere equaliter,& ſi ætatem non habuerit hoc in diſcritione iudicum remaneat, quòd ſi iſta infra medium annum,poſtquàm mulier requiſiuerit parentes,vel Iudices non fuerint obſeruata. Volumus,quòd mulier ueniat cum fratre de mobilibus,& immobilibus ad equalem portionem de illis,videlicet, quæ relicta fuerint à defuncto tantũ, inde ius obſeruetur per omnia, quando plures ſunt filij cum una filia,uel plures filiæ, cum uno filio, uel ex utraque parte ſunt plures. Sed ſi defunctus relinquit filium vnum,vel plures, & filiam ſimiliter unam, vel plures,cũ nepote,uel nepotibus,uel alijs maſculis deſcẽdentibus per maſculum à filio,uel filijs.Idem per omnia,ut ſupradictum eſt, volumus obſeruari,eo excepto,quòd in diuiſione mobilium tantum, ut ſupra dictum eſt, vel mobilium,& immobilium nepotes,vel alii deſcendentes ſupradicto modo tantum percipiant, quantum pater,vel patres eorum,ſi uiuerent,& ſi aliquis,vel aliqui eorum diuiſus, uel diuiſi fuerint, uel fuerit ab auo,uel patre,vel alio de aſcendentibus,& de bonis eius aliquid habuerit,uel habuerint tantum minus percipient,uel percipiet in parte ſua,& hoc quando bona inter maſculos diuiduntur.Item ſi tantum nepotes,vel vnus,aut plures, vel alij deſcendentes modo prædicto, ſimiliter vnus,uel plures fuerint cum filia una,uel pluribus,ſed cum filijs,& nepotibus,& alijs deſcẽdentibus modo predicto,vel cum aliquo,ſeu aliquibus eorũ fuerit filia vna, uel plures, vel aliæ deſcendentes ex filio,uel filijs per maſculum. Idem per omnia faciendum eſt,ita tamen, quòd neptis, uel aliæ deſcendentes modo prædicto

tantum de bonis mobilibus,ſi ad dotem ſufficiunt, uel de mobilibus & im mobilibus habeant in parte ſua,quantum pater,uel patres eorum haberēt, uel habent,ſicut ſupra diximus in nepotibus. Idem etiam ſtatuendum eſt, quòd neptes,vel aliæ deſcendentes in modo prædicto vna, uel plures relictæ ſunt à defuncto cum filio,vel filijs defuncti tantum, uel cum nepotibus uno,uel pluribus tantum,uel cum aliis deſcendentibus modo prædicto. In his autem caſibus omnibus, ſi filius unus,uel plures,uel nepos,ſeu nepotes, uel alii deſcendentes modo prædicto uxorem habuerint,& patres, vel aui, uel aliqui alij deſcendentibus dotes eorum habuerint. Volumus, quòd iſtas dotes accipere debeant tantum de bonis mobilibus ante partem ipſi, uel hæredes,ſeu ſucceſſores eorum,filiæ autem quæ habent, uel habuerunt uiros,nunquàm cum prædictis maſculis, uel aliquo eorum ſuccedunt, ſed ſint contentæ dote ſua. Idem in nepte vna,uel pluribus quæ habuit uel habet uirum,& in qualibet alia deſcendenti.

Qualiter filiæ mortuo patre inteſtato, ſine,&c. Cap. CXXVIII.

Sed ſi defunctus relinquit tantum filias, & earum quædam habent, uel habuerunt viros quædam,nec habent,nec habuerunt. Volumus,quòd illę, quæ habent, uel habuerunt uiros inde ſimul ſuccedant, cum alijs iam dictis, ita tamen,quòd illę quæ ſunt,uel fuerunt uxoratæ tanto minus percipiant in parte ſua, quantum fuerunt dotes earum,& ſi cum talibus filiabus defunctus relinquit neptes ex filio, vel filijs, vel alias deſcendentes per maſculum ex filio,vel filij,ſi omnes ſunt tales, quæ nunquàm habuerunt uiros inde cum filiabus ſimul ſuccedant, ita tamen quòd tantum habeant ipſe quantum patres earum ſi uiuerent,& ſi una,vel plures de iſtis neptibus,vel deſcendētibus modo prædicto fuerint uxoratæ,vel fuerit tanto minus percipiant,uel recipiant de parte quæ eam,uel eas contingunt, uel contingit, quādo in dotem habuerunt,uel habuit. Sed ſi relinquit tantum neptes,uel deſcendentes ſupradicto modo ex filio uno illæ quæ ſunt in eodem gradu equaliter ſuccedant, aliæ deſcendentes tantum habeant, quantum patres earum,uel pater habere debebat,uel debebant ordine ſupradicto obſeruato,vt uxoratæ minus percipiant. Et quod diximus in filiam & qualibet deſcendenti dicto modo,quòd ſi habet virum,uel habuit tanto minus ſemper percipiant,quanto in dote habuit intelligimus, quando dos eius proceſsit de bonis defuncti. Sed ſi ex pluribus filijs plures neptæ ſunt nō debēt habere plus nate ex uno filio,quàm ex alio,& ſi aliæ deſcēdentes ex filio per maſculū cū iſtis neptibus fuerint filiæ percipiant,ſicut patres earū perciperēt, & deſcēdētes prædicto modo percipiāt,ſicut pater,uel patres earū,& in hijs caſibus oīa obſeruētur,quæ ſupradicta ſunt. Nepotes aūt,vel neptes ex filia deſcēdētes,nūquàm ſuccedūt,ſi cū dictis perſonis cōcurrāt.Sed ſi relinquit filiā,vel filias,quæ habeat,vel habuerūt viros tantū iſtæ equaliter ſuccedāt.

Quod ſi quis mortuus fuerit abſq; deſcendentibus ſuccedere aſcendentes in proximiora,& ſi non,&c. Cap. CXXIX.

Si uero non fuerint deſcendentes, ſed aſcendentes tantum. Volumus, quòd primo ueniat pater ad ſucceſsionem filij,deinde auus paternus, ſi pater non fuerit,& ſic in quolibet maſculo aſcendēte per maſculinum ſexum. Ita quòd primo veniant illi, qui fuerint in proximiori gradu defuncto. Si uero defunctus reliquerit cum dictis aſcendentibus fratrē,uel fratres. Volumus,quòd ipſi fratres,uel frater ueniant,vel ueniat cum ipſis aſcendentibus ad ſucceſsionem, & æqualis fiat diuiſio inter eos,ſi uero nepotes ex fratre,uel fratribus defunctus relinquerit,cum aſcendentibus, ſimiliter volumus,quòd ipſi nepotes ex fratre ſuccedant cum eis,ita tamen, quòd iſti nepotes tantum habeant,quantum habent pater eorum ſi uiueret. Ad alios autem deſcendentes ex fratre non protenditur iſta ſucceſsio in hoc quando ſunt aſcendentes tantum à defuncto. Sed ſi defunctus nō reliquit aſcendentes,vel deſcendentorum,ſed tamen fratrēs ſuccedant ipſi fratres æqualiter. Sed ſi reliquit cum fratribus nepotes ex fratre ueniant ad ſucceſsionem ipſi nepotes inſimul cū fratribus. Ita quòd tantum hij percipiant quātum pater eorum ſi uiueret. Sorores autem non admittuntur quando fratres ſunt,ſed cum nepotibus tantum ex fratre, ſorores virgines,& uxoratæ admittuntur equaliter. Et ſi nulla de predictis perſonis deſcendentibus, & aſcendentibus collateralibus relicta eſt à defuncto. Tunc fiat de ſucceſsione eius ſecundum conſuetudinem terræ.

De ſucceſsione mulierum morientium abinteſtato. Cap. CXXX.

Succeſsiones autem mulierum morientium abinteſtato eodem modo procedant,ut ſuperius dictum eſt. Ita tamen,quòd tam maſculis quàm fœminis uirginibus, maritatis,& uiduis,omnium mobilium, & immobilium equaliter ſucceſsio deferratur.

De ſucceſsione ſerui,uel ancillæ morientiū abinteſtato. Cap. CXXXI.

Dicimus ſi aliquis cuiuſcunq; conditionis, ſexus,vel ætatis exiſtat libertatē dederit alicui ſeruo ſuo,uel ancillæ,& ipſe ſeruus,uel ancilla mortuus, ſeu mortua fuerint inteſtati,aliquibus deſcēdentibus nō relictis, quòd hæreditas ipſorū decedētiū peruenire debeat in eorū quodā dominū,aut ī hæredes ipſius domini iam decedētis,ī premiū libertatis præſtitæ & receptæ.

Qualiter plures fratres relicti ſuccedant fratri abinteſtato defuncto ſine aſcendentibus,& deſcendentibus quomodo,&c.
Cap. CXXXII.

Si aliquis non habens aliquos aſcendentes,uel deſcẽdentes deceſſerit inteſtatus pluribus fratribus derelictis cũ uno quorũ ſtabat in comuni familia indiuiſus ab ipſo.Et repertus fuerit habere in bonis,tam bona paterna, quã materna,quàm etiã acquiſita,alia cum fratre,cõ quo remanſerit indiuiſus. Volumus,quòd in bonis acquiſitis per ipſum,ille frater tantummodo ſuccedat abinteſtato,cum quo habitabat, & ſtabat inſimul, non diuiſus in bonis vero paternis fratres omnes ex eodem patre nata abinteſtato,ſuccedant equaliter,ita quòd ſi vnus de ipſis fratribus mortuus fuerit relictis filijs,ipſi filij illam partem debeant habere in bonis fratris patris, quam haberet pater eorum ſi uiueret. In bonis uero maternis omnes fratres ex eodem utero nati abinteſtato ſuccedant equaliter. Ita quòd ſi unus de ipſis fratribus uterinis mortuus fuerit relictis filijs, ipſi filij illam partẽ debeant habere in bonis maternis fratris patris,quam haberet pater eorum ſi uiueret.Verum ſi omnes fratres eſſent ex eodem patre,& eadem matre nati omnes ſuccedant equaliter fratri defuncto ab inteſtato in bonis paternis & maternis. Ita, quòd ſi unus ex ipſis fratribus ex eiſdem patre & matre natus deceſſerit relictis filijs, oẽs filij eius illam partem habere debeant in bonis fratris patris decedẽtis,quam haberet pater eorũ,ſi uiueret.Idem in omnibus,& per omnia intelligatur eſſe ſtatutum & locum habeat,ſi aliquæ ſorores fœminæ remanſerint poſt mortem fratris earum quæ nondum nuptæ ſunt, ſed vitam faciunt virginalem,uxoratæ aũt nõ ſuccedant eidem.

Qualiter menorica poſsit ſuccedere ab inteſtato pater, &c. Cap. CXXXIII.

Preſentis ſtatuti munimine ordinamus,quòd aliqua Pizochara, ſeu Menorica non poſsit ſuccedere ab inteſtato patri,aut matri in maiorem partem,quàm ſibi ſecundum facultatem bonorum patris,uel matris contingeret,ſeu dari deberet,ſi ipſam contingerit maritari.

Quod dimiſſoria relicta filiofamil. ſine hæredibus defuncto in patrem,&c. Cap. CXXXIIII.

Si filiusfamilias cui prius fuerat aliqua dimiſſoria, ſeu legatum relictũ ab inteſtato relictis aliquibus filijs, ſeu hæredibus moriretur. Volumus, quòd illa talis dimiſſoria, & legatum uenire debeant in eoſdem. Si uero non habuerit aliquos filios, ſeu hæredes, tunc illa talis dimiſſoria,& legatum uenire debeant in patrem & matrem uiuentes diuidenda, prout in ſtatutis ſuperioribus continetur.

Quod vxor ſuccedat viro defuncto ab inteſtato, ſine hæredibus aliquibus aſcendentibus collateralibus, & propinquis,& ſi uxorem non habent Comune debeat ſu. Cap. CXXXV.

Dicimus,& nihilominus ordinamus,quòd ſi aliquis cuiuſcunq; conditionis,ſexus,uel ætatis exiſtens deceſſerit inteſtatus nullis omnino relictis poſterũ aſcendentibus,deſcendentibus, collateralibus, ſeu conſanguineis, uel propinquis,uſq; ad quartum gradum, nec etiam in ipſo quarto gradu, quòd eius bona,ſeu hærediras deuenire debeant in uxorem, ſi quã habeat, Comuni Iadrenſi excluſo. Verum ſi nullam habuerit uxorem uiuentẽ, nec aliquem ſibi attingentem in gradibus antedictis bona illius taliter decedẽtis in Comune Iadræ debeant deuenire.Et tunc dominus Comes, qui pro tempore fuerit,& Curia debent prouidere pro anima defunctæ perſonæ ſecundum arbitrium eorũdem. Idem in omnibus, & per omnia obſeruetur, ſi mulier aliqua moriatur abinteſtato nullo propinquo relicto in aliquo graduum prædictorum, ut ſi quidem virum habuerit uocetur, ipſe ad hæreditatem defunctæ uxoris, ſi autem non habuerit virum eius bona, & hæreditas deueniant in Comune more prædicto, & Comune prouideat pro anima uxoris defunctæ.

Qualiter propinqui, & qui ſuccedant illi, qui monachalem habitum ſuſcepit ante profeſs.&c. Cap. CXXXVI.

Cum aliquis,ſeu aliqua profeſſus,ſeu profeſſa in ordine,ſeu habitu monachali,ſeu regulari ante profeſsionem nullum fecerit teſtamentum,uolumus,quòd poſt profeſsionem,ſeu bona immobilia ipſius iam profeſsi,tanquàm abinteſtato prouenire debeant ad hæredes & propinquiores ſuos qui al. ſibi ſuccederent abinteſtato,in bonis uero mobilibus, & ſe mouentibus iuribus,& actionibus debitorum talem monaſterium in quo intrauit habeat portionem qualem haberet unus quiſq; ex filijs maſculis, uel fœminis profeſsi, ſeu profeſſæ perſonæ in monaſterio antedicto. Si uero idem profeſſus,vel profeſſa in monaſterio non haberet filios,ſeu hæredes,uel propinquos aliquos, uſque ad quartum gradum bona omnia mobilia, & ſe mouentia iura, & actiones ueniant ab inteſtato in monaſterium, immobilia autem in Comune Iadræ.

Qualiter Monachus profeſſus habens fratres ſuccedere debet patri defuncto ab inteſtato,& non habens ſuccedere debet. Cap. CXXXVII.

Aliqua perſona habens patrem & matrem, uel alterum tantum in reguri,ſeu monachali habitu eſt profeſſa mortuis parentibus eius, uel altero

eorum,ſine teſtamento,puſtulat ſe admitti abinteſtato ad eorum,ſeu alterius hæreditatem. Volumus quidem,quòd iſte,uel iſta,qui,uel quæ profeſſus,uel profeſſa eſt regulam monachalem, uel ſumpſerit habitum alicuius regulæ per cuius habitus aſſumptionem forum effugerit ſeculare non poſſit ſuccedere abinteſtato patri,uel matri eorum habenti alios filios, ſeu filias,vel habenti filiorum,uel filiarum filios, uſq; ad conſanguineos germanos,niſi tantũmodo in decem libris pro centenario illius partis tantũmodo quæ ſpectaret ad ipſum,ſi monachalem,ſeu religioſum habitũ nõ ſumpſiſſet. alia autem bona omnia patris,vel matris mortui,vel mortuæ inteſtati, ſine diminutione aliqua debeant peruenire in fratres, ſorores, & filios fratrum,qui fratrum filij illam debent percipere portionẽ quam pater eorum,ſi uiueret haberet in bonis defunctæ perſonæ. Verum ſi ille pater qui mortuus eſt abinteſtato nullos relinquit fratres,vel ſorores,vel alias ſupradictas perſonas huic ſuo filio in monachali,vel religioſi habitu iam profeſſo. Tunc iſte religioſus ſic profeſſus poſsit ſuccedere patri,uel matri abinteſtato ſic defuncto,uel defunctæ in quartam partem bonorum parentis abinteſtato defuncti. Ita tamen,quòd iſte filius,uel filia ſic profeſſus,uel profeſſa nihil poſsit percipere, uel habere de bonis paternæ hæreditatis, niſi in pecunia numerata,uel rebus mobilibus,ſeu ſe mouẽtibus, aut ĩ iuribus, & actionibus. Alia autem bona ipſius perſonæ parentis abinteſtato defunctæ pertinere debeant ad proximiores defunctæ perſonæ,uſq; ad quartum gradũ qui ſi deficerent,tunc talia bona ueniant in Comune Iadrenſe.

Quod ſi quis filius verberauerit patrem,uel matrem priuetur ab hæreditate defuncti abinteſtato. Cap. CXXXVIII.

Aliqui filiorum maſculini,vel fœminini ſexus,uel alter ex ipſis verberauerunt patrem,aut matrem,aut aliquem alium de aſcendentibus per rectã lineam aſcendentium. Volumus,quòd talis filius,ſeu filia perdat partẽ ſibi contingentem abinteſtato in bonis,& hæreditate illius parentis, qui fuerit offenſus,ſi de ipſa offenſa pater uiuens conqueſtus fuerit coram Curia Iadrenſi,& illa pars alijs hæredibus applicetur,ſi probatũ fuerit legitime coram Curia ſupradictam iniuriam ipſis parentibus, uel alicui eorum fuiſſe illatam,eo ſaluo quòd ſi pater,uel mater iniuriatus,vel iniuriata ſimulauerit talem iniuriam,& tacuerit in uita ſua. Ita,quòd coram domino Comite, & eius Curia nullam fecerit & interpoſuerit querimoniam ſuper ipſa offenſa nihil abinteſtato perdat filia,uel filius antedictus,quia iura uolunt, quòd diſſimulatione talis iniuria deleatur.

Quod ex pluribus fratribus duo partes ſua comunicẽt,&c. Ca.CXXXIX.

Si plures fratres,uel ſorores diuiſerunt bona ſua,& poſt diuiſionem bo-

ſorum aliqui ipſorum comunicauerint partes ſuas, & poſtea contingerit, quòd alter iſtorum qui ſimul habitabant obierit inteſtatus, ſi de ipſa comu nione nullum auiarie factum fuerit inſtrumentum. Volumus, quòd omnes alij fratres, & ſorores habere debeant equaliter partem ſuam de bonis, & in bonis huius fratris taliter decedentis, vnde conſulimus, quòd ſi aliquis voluerit eſſe auiarius fratri ſuo, & abinteſtato ſibi ſuccedere omnibus alijs fratribus & ſororibus repulſis, hoc faciat, & facere debeat per publicum in ſtrumentum, & ſi aliter factum fuerit nullam habeat firmitatem.

De inuentario per hæredes cuiuſcunq; ſexus faciẽdo. Cap. CXL.

Statuimus, quòd hæres cuiuſcunq; condictionis, ſtatus, uel ſexus ex teſta mento, vel abinteſtato ueniens ad hæreditatem cuiuſcunq; perſonæ teneatur, & debeat facere inuentarium de omnibus quibuſcunq; bonis & rebus repertis in hæreditate ſibi delata, infra ſexaginta dies eo modo, & forma, ut ſupra titulo proximo capitulo ad hoc, in cõmiſſarijs, & de cõmiſſarijs clarius, & ſerioſius eſt ſtatutum & factum, ſeu perfectum inuentarium defferre teneatur domino Comiti, & ſuæ Curiæ, ut in eodem titulo & capitulo ſuperius per omnia eſt ſtatutum, quòd ſi hæres non fecerit inuentarium, vel fecerit, & in ipſo non poſuerit ſingulas res ipſius hæreditatis teneatur in pœnam propter talem ſuam negligentiam, omnibus & ſingulis ſatisface re integraliter, & in totum, qui aliquid debebant recipere, uel habere à defuncto, uel de hæreditate defuncti, etiam ſi hæreditas ſibi delata non ſuffi ceret ad ſatisfactionem omnium prædictorum. Ita tamen, quòd nõ noceat, nec nocere valeat, ſeu poſsit minoribus quindecim annis non habentibus tutores, uel cõmiſſarios generales, ſi non fecerint inuentarium infra tempo ra ſupraſcripta, ſed ipſis cõmiſſarijs noceat, vt in ſuperioribus declaratur.

De alimentis. Titulus iſte habet unũ capitulũ. Cap. CXLI.

Indecens valde fore putamus, quòd uxori quæ in quondam uiri domo elegerit viduare denegari debeant alimenta. Si ipſius quondã uiri ſupetant facultates. Sed indecentius, ac iuri & legibus magis cõtrarium reputamus ſi aliqua uidua ſuis finibus non contenta uellit manum extendere præſumptiuam ad prohibita, ſeu diſſonæ rationi, ideo ſtatuimus, & inuiolabiliter ordinamus, quòd ſi aliquis moriatur relicta vxore in domo quæ deſideret perpetuo viduare, ac poſt viri ſui obitum uellit alimentari, & poſidere lectum eiuſdem. ſi quidem ipſe uir deceſſerit condito teſtamenro in quo ſibi inſtituerit hæredes filios, uel aliquos alios deſcendentes quoſcunq; remaneat ipſa mulier, & remanere poſſit in domo, quondam viri ſui, & utatur thoro, ſeu lecto Comuni, ac habeat alimenta, videlicet tectum, ſeu domum uictum, & ueſtitum tantũmodo ſecundum facultatem, & poſsibili-

tatem bonorum hæreditatis uiri defuncti,& decentiam ac honeſtatem viduæ antedictæ,& non aliud,quàm ſeruari uere volumus,& tenere mandamus,ſi ipſa vidua omnia bona ſua, tam dotalia, quàm alia quæ in hæreditate habebat in ipſa hæreditate relinquit,ut prius, ſed ſi relinquere noluerit nil habeat de prædictis. Verum ſi ipſe maritus deceſſerit nullo condito teſtamento,ſi quidem relinquerit filios, uel aliquos deſcendentes, uſq; ad infinitum. Item in omnibus,& per omnia obſeruetur, ut in ſuperioribus dictum eſt. Si uero maritus quondam non habuerit deſcendentes, ſed relinquerit aliquos ſibi proximos,uſq; ad quartum gradum, & uxor dixerit,ac uoluerit ſe uelle ſtare in domo,lecto,&c. vt in ſuperioribus dictum eſt.Volumus, quòd ipſi propinquiores defuncti ad quos pertinet de iure ipſius uiri hæreditas dare poſsint,& debeant eidem mulieri dotem,& repromiſſam ſuam,& inſuper dote debeant eidem mulieri decem libras pro centenario,facta extimatione congrua, & decenti,omnium bonorum defuncti; ita tamen,quòd non aſcendat ſummā ducentarum librarum quod ſi fecerint & obtulerint,ac dare uoluerint mulieri,nec ipſa recipiat, nō ſit eidem mulieri licitum, uel honeſtum lectum poſtulare cum alimentis, ſed foras abijciatur,nec deinceps perpetuò audiatur ad talia poſtulanda, & ipſi propinquiores quondam mariti habeant alia bona ſua pacifice & quiete, quæ dicta ſunt,& ſtatuta in uxore uidua uiuente defuncto marito, & in bonis uiri locum habeant,& ſtatuta eſſe intelligātur in omnibus, & per omnia in uiro uiuente,& uxore defuncta,& bonis ipſius uxoris defunctæ.

De verborum & rerum ſignificatione. Cap. CXLII.

Tutum fore probabiliter reperitur, quòd dum uerba per teſtatorē aliqua proferuntur,quòd illa verba talem interpretationem recipiant quæ ſanum preſtent audientibus intellectum,& uoluntati defuncti minime contradicant,& ideo quandocunque aliqua perſona fuerit relicta cōmiſſaria per quamcunq; perſonam,uel uxor per maritum,& in teſtamento, uel alia ultima voluntate generaliter ſit cōceſſum cōmiſſario,uel cōmiſſariæ,ut pro anima,& corpore poſsit dare,ac diſtribuere in omnibus,& per omnia ſicut poterat ipſe teſtator ſi uiueret.Declaramus ex uirtute talium verborū, ſeu talis commiſsionis ipſum teſtātem uoluiſſe & ſignificaſſe, quòd ipſa commiſſaria,ſeu uxor,uel quiuis alius non poſsit extendere manus ſuas ad dandum,donandum,obligari,alienari, diſtribueri aliquid de bonis hæreditatis, ſed fructus, & redditus ipſius hæreditatis poſsit uendere,expendere, & alienare,prout vtile erit ſibi,& filijs ſuis, atque nepotibus maſculinis ſexus,uel fœminini,pro gubernatione ipſorū filiorum,& ſui ipſius,ſi de ipſis teſtator intellexerit,niſi forte teſtator eidē cōceſſerit,ſeu dederit in ſuo teſtamēto,uel alia vltima voluntate plenā,& generalē cōmiſsionē,& adminiſtrationē, ac ſpeciale mandatum,uēdendi,alienandi bona ſua in totum,vel

in partem

in partem, tunc enim eadem cõmiſſaria, & quilibet alter cõmiſſarius illam habeat poteſtatem in omnibus, & per omnia, quam ipſe teſtator eidem conceſsit in ſua vltima voluntate.

Quod maſſaraticum intelligantur omnia bona, &c.
Cap. CXLIII.

Quia ſolet à multis dubitabiliter exſitari quid contineatur ſub hoc uocabulo maſſaraticum vulgarem dubitationem, putauimus huius ſtatuti tenore lucide referare, ſi enim alicui fuerit maſſaraticum derelictum, iſte talis cui relictum fuerit maſſaraticum debet habere oĩa quibus ipſe teſtator vtebatur in domo ſua ad comunẽ uſum pro vtilitate & cõmodo ipſius teſtatoris, & ſuæ familiæ exceptis hijs quæ conſiſtunt in auro, argento, gẽmis, perlis, ac lapidibus precioſis exceptis etiã armis, ferreis, clipeis, & galeis, quæ oĩa nolumus ſub maſſaratici uocabulo contineri, ſeu etiã cõprehendi.

Quod ſi fiat mentio de ul.gogna in aliqua venditione, &c.
Cap. CXLIIII.

Ad hoc, ut huius vulgari noſtri, videlicet gognay in poſterum omnis claritas habeatur ſatis probabiliter declaramus, quòd vbicunq; venditio, uel locatio, aut cuiuſcunq; generis alienatio de terra, vinea, uel quacunque alia poſſeſsione faciẽda aliqua mentio facta fuerit de gognay, uel ad gognam. Volumus, quòd omnes gognay ſint uiginti paſſus per longum, & totidem per amplum ad menſuram illius paſſus, qui ſignatus eſt in porta Eccleſiæ ſancti Petri ſituatæ in platea Ciuitatis Iadrenſis.

Quod ſi fiat mentio de hijs dictionibus ſiquis, &c. Cap. CXLV.

Sicubi in aliquo ſtatuto fiat mentio de hoc verbo, ſi quis, aliquis, quiſquam, nequis, & unus quiſque, volumus quòd ſub prolatione maſculina intelligatur, & fœmininum, ſi illud negotium ſuper quo loquitur ſtatutum tale ſit, quòd ſexui conueniat fœminino, in delictis autem regulariter, volumus obſeruari, quod maſculina prolatio ſemper cõtineat, & concipiat fœmininam, & puniatur mulier ſicut vir.

Tertius iſte liber centum tenet & quadraginta
Quatuor ex numero clare ſub ſe plebiſcita.

INCIPIT LIBER QVARTVS.

DE NAVIBVS ET NAVIGIIS.

Continet iſte titulus octuagintatria capitula.

IN Primo capitulo inſtruitur qualiter mercatores poſſunt dare ſacramentum Nauelerijs de ſauornando ipſam nauem,& de ipſa ſauorna nihil minuetur ſub certa pœna, niſi in certis caſibus poſtquàm fuerit ſauornata.

In ſecundo capitulo inſtruitur de modo extrahendi ſauornam de naui ſi licet ponendo ferrum, ramum, plumbum, & ſtagnum non laboratum, aut macinas,& quibus preſentibus.

In tertio capitulo inſtruitur,quòd burla, ſtopa, & acuti debēt eſſe expenſis Patronorū nauium,& lignorū de centum miliarijs,vel abinde ſupra.

In quarto capitulo inſtruitur de loco non occupando per marinarios, uel per alios marinariciā ſuſcipiētes deputato mercatoribus ad dormiēdū.

In quinto capitulo inſtruitur, quæ arma nauelerius, & marinarius habere tenetur in naue,vel in alio ligno de centū miliarijs,& abinde ſupra.

In ſexto inſtruitur capitulo, quòd arma per marinarios in nauem delata, quouſq; naui ſeruire tenētur auferri non poſsint ullo modo.

In ſeptimo capitulo inſtruitur quæ arma Patronus cuiuslibet ligni de centum miliarijs,uſq; ad ducenta non completa ſecum deferre tenetur.

In octauo capitulo iſtruitur,quæ arma Patronus nauis banzoni,buzonauis, uel alterius ligni de ducentis miliarijs, uſque ad trecenta miliaria non completa habere tenetur.

In nono capitulo inſtruitur,quæ arma Patronus cuiuslibet nauis, uel alterius ligni de trecentis miliarijs, uſque ad quingenta non completa ſecum deferre tenetur.

In decimo capitulo inſtruitur,quæ arma Patronus cuiuslibet nauis banzoni,& alterius ligni de quingentis miliariis,uſq; ad ſeptingenta ſecum deferre tenetur.

In vndecimo capitulo inſtruitur,quæ arma Patronus cuiuslibet nauis, uel alterius ligni de ſeptingentis miliariis, uel abinde ſupra ſecum deferre tenetur.

In duodecimo capitulo inſtruitur de pœna Patrono inferrēda propter defectum armorū,& quòd Iudices maris antequàm nauis faciat uelum, ſi prædicta arma adſunt inquirere diligenter virtute præſtiti ſacramenti teneantur.

In tertiodecimo capitulo inſtruitur de licentia conceſſa mercatoribus præſtandi ſacramentum patrono cuiuslibet nauis & alterius ligni, de non uendendo coreda nauis, niſi in certis caſibus.

In quartodecimo capitulo inſtruitur de forma ſacramenti fiendi per marinarium iturum ſuper aliquam nauem.

In quintodecimò capitulo inſtruitur, quòd qualibet nauis de centum miliariis, uſq; ad ducenta non completa habere teneatur unum ſcriuanum qui examinetur per Iudices maris, & de eius officio.

In ſextodecimo capitulo continetur, quòd ſcribanus acceptus extra Iadrã iurare debeat ſuum officium exercere ſecundum ſtatuta Iadræ.

In decimoſeptimo capitulo inſtruitur, quòd quilibet nauis de ducentis miliariis & abinde ſupra habere debeat duos ſcribanos, & debent preſentari Iudicibus maris, & per eoſdem examinari.

In decimooctauo capitulo continetur, quòd omne lignum, & nauis quæ portat merces ad naulum habere teneantur unum ſcriuanum eligendũ & examinandum ſecundum ſtatutum.

In decimonono capitulo cõtinetur de ſacramẽto ſcribani ſuper officio ſuo exercendo in qualibet naue.

In vigeſimo capitulo inſtruitur de pactis factis inter Patronum nauis de minus centum miliariis, & mercatores ſcribendis per tabellionem, vel coram teſtibus peragendis.

In vigeſimoprimo capitulo continetur, quòd poſtquàm merces poſitæ fuerint in naue de centum miliariis, uel abinde ſupra iuxta ordinem ſtatutum Iadræ in patronorum cuſtodiam debeant permanere.

In uigeſimoſecundo continetur, quòd Patronus nauis de centum miliariis vel abinde ſupra, poſtquàm fecerit portum ad diſcaricandum, teneatur merchatori denuntiare merces ſuas ad portam conductas, quas ea die, uel ſequenti mercator recipere teneatur.

In uigeſimotertio capitulo continetur, quod merces damnificatæ exiſtentes in naue per Iudices maris debeant extimari, quibus extimatis Iudices ſatisfacere iubeant mercatori eodẽ modo, ſi extra Iadram queſtio oriretur per Iudices illius loci debeat diffiniri.

In uigeſimoquarto capitulo continetur de ſatisfactione facienda mercatoribus de quolibet ſacho, tam bambaxij ultra marini, tam Romaniæ, uel Calabriæ, tam lanæ de Barbaria, quàm etiam de rota tractis per pilum.

In xxv. capitulo cauetur, quod mercator, uel marinarius, vel milles, aut ſacerdos quilibet vnam tantum caſelam in naui ponere poſsint.

In xxvi. capitulo continetur de licentia conceſſa marinariis, & naulizatis ferendi in naue mataracium unum de libris quadraginta.

In xxvij. capitulo docetur, quod nulli mercatorij, uel marinario, liceat portare ligna in naui, niſi ea quæ ſibi ad iter ſuum ſufficiant.

In xxviij. capitulo docetur de quantitate vini, & aquæ conceſſa ferendi in

naue ituris vltra Mare, & per totam Barbariam,ac etiã ad alias partes.
In xxix.capitulo docetur de quantitate farinæ & biſcoti conceſſa ituris ul tra Mare,& ad omnes alias partes extra gulfum.
In xxx.quòd quicunq; poſuerit in naue pluſquàm ponere debuerit de illo pluri duplum ſoluere teneatur ad miliarij rationem.
In xxxi.capitulo continetur,quòd peregrini non teneantur ad reſtaurationem damni ſuperuenientis in arbore, antena,uelo,timonibus,aut ancoris,ſed pro eis patronus nauis partem eis continentẽ ſoluere teneatur.
In xxxii.capitulo docetur,quòd licitum ſit patrono marinariũ pacta& conuentiones nõ obſeruantem relinquendo nauem perſonaliter retinere.
In xxxiij.capitulo docetur,quòd ſi Patronus per octo dies poſt terminum conſtitutum non ſoluerit marinarijs in duplum teneatur.
In xxxiiij.capitulo docetur de quarta parte marinariciæ & nauli ſoluenda patrono,& marinariis, ſi nauis naulizata ad partes Romaniæ, uel ultra mare contingerit in alio uiagio inuernare.
In xxxv.capitulo docetur qualiter quæſtiones inter euntes in aliqua naue ſubortæ manentes,poſtquã nauis ad portũ applicuerit debeant definiri.
In xxxvi.capitulo docetur,quòd Iudices maris poſsint imponere & auferre pœnam patrono,ſi ad terminum nauẽ non diſcaricauerit ordinatũ.
In xxxvij.capitulo docetur,quòd nullus poſsit facere fieri guay tam per ſe in naui,ſed perſonaliter agere teneatur.
In xxxviij.capitulo docetur,qui tenentur de damno contingente in mercibus, quando oportet nauem aleuiari in Iſtria, uel ſupra portum,uel in alio loco poſtquàm ariuauerit.
In xxxix.capitulo continetur,quòd ſi aliquod lignum fuerit robatum illud damnum in auere nauis debeat eſſe comune.
In xl. capitulo continetur, quòd patronus non poſſit expellere ſorterium, nec ſorterius poſsit relinquere nauẽ,& pacta inter eos obſeruentur.
In xli.capitulo continetur de qualibet queſt ione inter ſocios eiuſdem nauis orta procedatur ſumarie ad ſententiam promulgandam.
In xlij. capitulo continetur, quòd mercator teneatur ſatisfacere patrono de naulo,uel pignus antequàm de naue merces extrahantur ſufficiens aſsignare.
In xliij.capitulo continetur,quòd patronus marinario ad muduam conuẽtato,ſi ſeruiuerit naui ultra terminum pro rata temporis & diei ſoluere teneatur.
In xliiij.capitulo continetur, quòd pagamentum muduæ patroni nauium marinarijs per terzariam facere compellantur.
In xlv. capitulo continetur quibus res perditæ, aut de naue proiectæ propter fortunale per aliquos repertæ, tam ſubtus fundũ aquæ quàm etiam natantes applicentur,& inuẽtoribus quæ pars debeat aſsignari.
In xlvi.capitulo cõtinetur, ſi nauis propter diſcordiam inter ſocios ortam

ceſſaret nauigare liceat ſociorum cuilibet ipſam in terra Iadræ ponere ad incantum.

In xlvij. capitulo continetur qualiter filiusfamilias, & quiuis alius in alterius poteſtate exiſtens recepta marinaricia aliqua propter eius defectũ pœnam inciderit de eadem marinaricia ipſam ſoluere teneatur.

In xlviij.capitulo continetur de pœna dupli auferenda illi qui rem ſibi aſſignatam per mercatores nauterios & marinarios domibus eorum non preſentauerit,ut promiſit.

In xlix. capitulo docetur,quòd ſuprapoſto poſito per patronum in aliqua naui nõ liceat nauem ſua auctoritate uendere, niſi de ipſius domini expreſſo mandato.

In l.quòd ſupra poſtus nauis poſtquàm portui Iadræ applicuerit, uſq; ad tertiã diẽ patrono teneatur de introitu,& exitu reddere rationem.

In lj.quòd ſupra poſtus cuiuslibet nauis introitus & exitus ſcribam ſcribi faciat in quaterno.

In lij. quilibet marinarius in aliquo de quo redis nauis dediſſe damnum doloſe repertus patrono duplum ſoluere teneatur.

In liij.capitulo continetur qualiter licitum ſit patrono mercimonia alterius nauis periculatæ in ſua recipere naui, & ea deportando ad locum, quo nauis uiolata debebat.

In liiij.quod marinarii conducti ad eundum vltra gulfum ad viagium nauem ſequi teneatur omnino.

In lv.capitulo continetur à quanta quantitate ſupra marinarij uaream facere compellantur.

In lvj.capitulo continetur, ſi nauis, uel lignum propter aliquod accidens, uenerit ad terram,aut fuerit deuaſtatum marinarij, illud ſequi debeant quouſq; fuerit reparatum, ſi patrono placebit.

In lvij.capitulo continetur de pœna quam pati debet, qui furtum in naui contraxit.

In lviij. capitulo continetur per quos rixantes in naue debeant iudicari.

In lix.capitulo cõtinetur,quod patronus vẽdita naue in terra Saracenorũ ſuis expenſis marinarios ad terrã Chriſtianorũ cõduci facere teneatur.

In lx. capitulo cõtinetur qualiter patronus ſuo marinario infirmo,in uictu ſubuenire tenetur in naue moranti.

In lxi. capitulo continetur de ſolutione facienda marinario, quẽ extra Iadram,& intra gulfum propter infirmitatem oporteat remanere.

In lxij.capitulo continetur,quod hæredi marinarij defuncti extra Iadram & intra gulfum in viagio fieri debeat integrum pagamentum.

In lxiij. capitulo continetur de ſolutione hæredibus marinarij ad muduã pacti per terzariam in itinere fienda defuncti.

In lxiiij.capitulo cõtinetur de ſolutione fiẽda marinarijs exiſtẽtibus vltra tempus,ſi nauis vendita fuerit per patronum, uel in terram Chriſtiano-

rum, uel Saracenorum.

In 65. capitulo continetur, quod concordia inter patronos & marinarios facta per arras, uel per fidanciam debeat obſeruari.
In 66. capitulo continetur, quod nullus marinarius poſtquàm fuerit concordia cum patrono audeat exire ciuitatē, ſine ipſius patroni mādato.
In 67. capitulo continetur de miliari marinariorum in naue ponendo ad rationem ſui nauli.
In 68. capitulo continetur qualiter marinarij tenentur ſauornare Nauem. & mercimonias ſtiuare, præterquàm Venetijs.
In 69. capitulo continetur, quòd marinarij liguamē patroni portent ad nauem, & ubi placuerit patrono, & mercimonia recipiant in eadem.
In 70. capitulo continetur, quòd ſtatuta Comunis Iadræ inter patronos & marinarios Iadræ obſeruari debeant, vbiq; locorum.
In 71. capitulo continetur de naui poſita ad partē cū marinarijs certis pactis, illa pacta ſeruari debeant, ſi redacta fuerint in ſcripturam.
In 72. quòd cuiuslibet rei, tam in terra, quàm in mari repertæ, & cuius fuerint neſciatur patrono nauis medietas applicetur, alia inter omnes alios nauis equaliter diuidatur.
In 73. capitulo continetur, qualiter ligna per marinarios facta in nauem deducta, diuidi debeant in tres partes.
In 74. capitulo continetur, quòd ſi in mercibus, & rebus nauis propter malam calcaturam damnum euenerit patronus paſsis reſtituere teneatur.
In 75. capitulo continetur, quòd poſtquàm nauis exiuerit de portu Iadræ, uel de alio loco ſana & ſtagna, & damnum propter fortunale eidem acciderit, illud damnum per uaream vadat omnino.
In 76. capitulo continetur, quòd marinarij ad muduam conducti, & termino ueniente nauis nondum portui potuit applicare, derelinquere eam non poſsint ſine patroni licentia, & eiſdem ſatisfiat pro tēporis ratione.
In 77. capitulo continetur, qualiter patronus tenetur marinarios retinere eſto, quòd nauis ante terminum applicuerit portui uſq; ad tempus quo ſeruire debebant.
In 78. capitulo continetur qualiter patronus marinario fortuito caſu facienti neceſſariam vtilitatem nauis defuncto naulum integrum ſoluere compellatur.
In 79. capitulo continetur, quòd marinarius quilibet officium pro naui neceſſarium ſibi commiſſum recipere & facere teneatur.
In 80. capitulo continetur quòd patrono barchæ naulizatæ in uindimijs, quæ propter fortunale extra Iadram applicuerit pro diebus, quibus ceſſauerit nauigare nulla ſolutio præbeatur.
In 81. capitulo continetur de modo & forma ſolutionis fiendæ marinarijs, qui cum barchis oneratis vuis portui applicuerit poſt ſolis occaſum.
In 82. capitulo continetur, quòd barcha uindimijs deſeruire uolens per

Iudices maris debeat extimari quot modios deferre poſsit, & ſecūdum extimationem eidem fiat ſolutio ordinata.

In octuageſimotertio capitulo continetur de modo & forma deputationis corbarum unicuiq; barche ſecundum pondus ſuum.

Expliciunt capitula Quarti libri.

LIBER QVARTVS.

DE NAVIGIIS ET NAVIBVS, ISTE TITVLVS CONtinet octuagintatria capitula. Qualiter mercatores poſſunt dare iuramentum nauelerijs de ſauornando ipſam nauem, & de ipſa ſauorna nihil minuere. Cap. I.

STatuimus, quòd aliqua Nauis fuerit per mercatorem, ſeu per mercatores aliquos naulizata, licitum ſit ipſis mercatoribus, uel mercatori dare ſacramentum nauelerijs dictæ nauis, quòd ipſam nauē bona fide legaliter, & ſine fraude aliqua ſauornabunt, ſicut eis videbitur expedire ad conſeruationem, fortificationem, ſeu munitionem dictæ nauis pro uiatico ad quem ipſi mercatores ire intēdunt, naui primitus naulizata, & quòd poſtquàm nauis prædicto modo, & ordine fuerit ſauornata extrahetur, uel imminuetur modo aliquo, uel ingenio per aliquam perſonam, & ſi aliquid de ipſa ſauorna diminutum, vel extra nauem proiectum, ſeu extractum patronus, ſeu patroni ipſius nauis ſol. uiginti, denariorum paruorum ſoluere compellantur pro banno, niſi cauſæ neceſsitatis in introitu portus, uel niſi de uoluntate illius, uel illorum, qui nauem naulizauerit extra proiectum fuerit de ſauorna, quibus duobus caſibus patroni nauis ad prædictam pœnam minime teneantur. Et hæc omnia intelligimus, & locum habere uolumus, & mandamus, non ſolum in naue, ut in ſuperioribus dictū eſt, ſed etiam in quolibet ligno cooperto.

De modo extrahendi ſauornam de naue. ſ. ponendo ferrum, ramum, plumbum, & ſtagnum non laboratum, aut macinas, & quibus preſentibus. Cap. II.

Patronus alicuius nauis, poſtquàm nauis ipſa fuerit ſauornata in naue

ipſa poſuit ferrum, aut plumbum, aut ſtagnum, aut ramum non laboratum, aut machinas, aut de omnibus iſtis quinq; ſimul poſuit pro ſavorna, certè volumus, quòd ipſe patronus tantum poſsit extrahere de ſavorna quantũ poſuerit in naue de quinque rebus prædictis, & hoc facere teneatur, & debeat preſente nauclerio & ſcriuano ipſius nauis. Si uero aliquid de ipſa ſauorna extraheretur furtiue de naue, ita quod poneretur aliquid de quinq; rebus prædictis patronus nauis teneatur emendare pro culpa ſol. uiginti, groſſ. Comuni Iadræ, & inſuper, quod ſi aliquod damnum propter ſauornam extractam de naue ſuſtineret aliquis de mercatoribus qui naulizauerunt, ſeu conduxerunt nauem teneatur patronus illud damnum integraliter mercatoribus reſarcire, & hoc locum habere uolumus, non ſolum in naue, ſed etiam in quolibet ligno cooperto.

Quod burla, ſtopa, & acuti, debent eſſe expenſis patronorum nauium & lignorũ de centum miliarijs, uel ab inde ſupra. Cap. III.

Volumus, quod burla, ſtopa, & acuti, debeant eſſe in expenſis patronorum nauium, & patronorum quorumlibet lignorum coopertorum, & non coopertorum aptorum ad portandum, ſeu ad ſuſtinendum onus, & pondus centum miliariorum, uel ab inde ſupra.

De loco non occupando per marinarios, vel per alios marinariciam ſuſcipientes deputato mercatoribus, ad dormiendum. Cap. IIII.

Cum marinarij, uel aliqui alij qui marinaritiam acceperunt in naue naulizata per mercatores defenderint, ſeu occupauerint locum pro dormiendo ipſis mercatoribus deputatum, videlicet ab arbore de medio uerſus popam mandamus, quod eundem locum retinere non poſsint, ſed dormire teneātur ſuper berteſcam diſcoopertam, quæ eſt ſupra paradiſum, uel poſſunt dormire ſupra uanum, excepto patrono marinario contato, qui dormire poſsit ab arbore de medio uſq; ad popam, verum ſi aliquis marinarius, uel aliqui alij contra prædicta facere præſumpſerunt ſoluant pro pœna, & nomine pœne Comuni Iadræ quinq; ſoldos denariorum Venetorum groſſorum, niſi de licentia ipſorum mercatorum ipſi marinarij, uel aliqui ex ipſis dormiuerint in locis ſuperius prohibitis. Et hæc omnia locum habere uolumus, non ſolum in naue, ſed etiam in banzono, & buzonaue, & in quolibet alio ligno de centum miliarijs, uel ab inde ſupra.

Quæ arma nauclerius, & marinarius habere tenentur in naui, uel in alio ligno de centum miliarijs, & abinde ſupra. Cap. V.

Quilibet marinarius cuiuſcunq; nauis, uel alterius ligni de centum miliarijs,uel abinde ſupra, teneatur habere in naue infraſcripta arma, videlicet capellinam, aut elmum de corios,ſeu de ferro, & ſcutum, & zupam,& cutellum percutiendi,& ſpatam, & lanceas, ſeu lanzones tres, marinarius uero qui quadraginta libras, uel abinde ſupra habuerit pro marinaricia teneatur habere in naue panzeriam, ſeu lamam de ferro cũ omnibus armis ſuperius ſpecificatis. Sed nauelerius,qui quadraginta libras paruorum,uel abinde ſupra habuerit pro marinaricia teneatur ſecũ deferre panceriam aut lamam de ferro,& unam baliſtam de cornu,uel de ligno cum omnibus ſupradictis armis,& hæc omnia arma in hoc capitulo contenta quilibet ſupradictorum habere teneatur, & debeat ſub pena decem librarum denariorum Venetorum paruorum. Cuius pœnæ medietas in Comunæ Iadræ deueniat,alia vero medietas patrono nauis integraliter aſsignetur.

Quod arma per marinarios in nauem delata, quouſq; naui ſeruire tenẽtur auferri non poſsint. Cap. VI.

Ordinamus,quòd omnia arma,quæ nauelerius, ſeu nauelerij,& marinarij ſecum deferre tenentur, & habere in naue ab eis pro aliquo debito auferri non poſsint,ſeu quomodolibet obligari,quo uſq; patronis nauium tenebuntur ex pacto ſeruire in naui,ſeu donec ipſi nauelerij,& marinarij cõpleuerint nauigiũ inceptũ, & elapſum fuerit tempus illius nauli,& termini quo promiſerunt præſtare operas ſuas illi nauigio.

Quæ arma Patronus cuiuſcunq; ligni de centum miliarijs, uſque ad ducenta non completa ſecum deferre,&c. Cap. VII.

Præcipimus,quòd patronus cuiuslibet banzoni, uel alterius ligni de centum miliarijs,uſq; ad ducenta non completa habere debeat, & ſecum deferre in ipſo banzono, ſeu ligno vnam panceriam, & duos elmos,& duas capellinas cum maſcaris,lanzonos,ſeu gatarolos centum, duos ſcutos, duas baliſtas de ligno, centum quadrellos pro qualibet baliſta, & unum crocum,& duas cordas, & unam maiſtram pro qualibet baliſta, ita quòd eo ipſo, quòd quis habet banzonum vel aliud lignum, quòd leuet, & portet tantum pondus,debet habere ipſa arma contenta in hoc ſtatuto.

Quæ arma Patronus nauis banzoni, buzonauis, uel alterius ligni de ducentis miliarijs, uſque ad trecenta non completa habere tenetur. Cap. VIII.

Iubemus,quòd Patronus cuiuslibet nauis & banzoni, & buzonauis, vel alterius ligni de ducentis miliarijs vſq; ad trecenta non completa habere

teneatur,& ſecum deferre duas panzerias,vel duas coracias,&duos elmos, & duas capellinas,cum maſcaris,& centum lanzonos,ſeu cutellos,duos ſcutos,duas baliſtas de cornu,uel de ligno, unam de ſtreuo, & aliam de peſarola,centum quadrellos pro baliſta de ſtreuo & quinquaginta quadrellos, pro baliſta de peſarola,unum crocum,& vnam peſarolam, duas cordas, & unam maiſtram pro qualibet baliſta. Ita quòd eo ipſo, quòd patronus habet nauim,banzonum,buzonauĩ,uel aliud lignum,quòd leuet & portet prædictum pôdus habere teneatur,& ſecũ deferre arma in hoc ſtatuto côtẽta.

Quæ arma Patronus nauis, uel alterius ligni de trecentis miliarijs, uſque ad quingenta non completa ſecum deferre tenetur. Cap. IX.

Mandamus, quòd patronus cuiuslibet nauis, & buzonauis, & banzonĩ, uel alterius ligni de trecentis miliarijs,uſq; ad quingenta non completa habeat,& ſecum deferre teneatur quatuor panzerias,uel corazas, & quatuor elmos,uel capellinas, cum maſcaris,quatuor ſcutos,ducentos lanzonos,uel citarolos,quatuor baliſtas de cornu,uel de ligno,duas de ſtreuo,& duas de torno,uel de peſarola,centum quinquaginta quadrellos pro qualibet baliſta de ſtreuo,quinquaginta quadrellos, pro qualibet baliſta de torno, uel de peſarola,duos tornos,ſi habet baliſtas de torno, & duas peſarolas,ſi habet baliſtas de peſarola,& duas cordas,& unã maiſtrã pro qualibet baliſta. Ita,quòd eo ipſo,quòd patronus habet nauem banzonem, & buzonauem, uel aliud lignum quod leuet, & portet prædictum pôdus habere teneatur, & ſecum deferre debeat arma in hoc ſtatuto contenta.

Quæ arma Patronus cuiuslibet nauis banzonĩ, & alterius lignĩ de quingentis miliariis,uſq; ad ſeptingenta ſecum deferre tenetur. Cap.X.

Aſcerẽter præcipimus,& iubemus,quòd patronus cuiuslibet nauis banzoni,& buzonauis,uel alterius ligni de quingentis miliarijs uſq; ad ſeptingenta miliaria non completa habeat, & ſecum deferre teneatur ſex panzerias, uel coracias,ſex capironos,uel elmos,uel capellinas cum maſcaris,ſex ſcutos,trecentos lanzonos,uel citarellos,ſex baliſtas de cornu,uel de ligno, tres de ſtreuo,& tres de torno,vel de peſarola, centum quinquaginta quadrellos,pro qualibet baliſta de ſtreuo,& quinquaginta quadrellos,pro qualibet baliſta de torno,uel de peſarola,tres crocos,duos tornos ſi ſecum deferret baliſtas de torno,vel duas peſarolas,ſi ſecum defert baliſtas de peſarola,& duas cordas & unam maiſtram,pro qualibet baliſta,ita quòd eo ipſo, quòd patronus habet nauem,banzonem,buzonauem,uel aliud lignum quod leuet,& portet prædictum pondus habere teneatur,& ſecum deferre debeat arma in hoc ſtatuto contenta.

Quæ arma Patronus cuiuslibet nauis, uel alterius ligni de ſeptingentis miliariis, uel abinde ſupra ſecum deferre tenetur. Cap. XI.

Omnibus patronis cuiuſcunq; nauis, vel alterius ligni de ſeptingentis miliarijs, vel abinde ſupra ingiunginius, quòd habere ſecum debeant, & deferre octo panzerias, vel coracias, octo capironos, octo elmos, uel octo capellinas, cum maſcaris, octo ſcutos, quadringentos lanzonos, vel citarellos, octo baliſtas de cornu, uel de ligno, quatuor de ſtreuo, quatuor de torno, uel de peſarola, centum quinquaginta quadrellos, pro qualibet baliſta de ſtreuo, quinquaginta quadrellos, pro qualibet baliſta de torno, uel de peſarola, duos turnos ſi fert ſecum baliſtas de turno uel duas peſarolas, ſi fert ſecum baliſtas de peſarola, duos crocos, duas cordas, & unam maiſtrã, pro qualibet baliſta. Ita quòd eo ipſo, quòd patronus habet nauem, uel aliud lignum quod leuet, & portet prædictum pondus habere teneatur, & ſecum deferre arma in hoc ſtatuto contenta.

De pœna Patrono inferrenda propter defectum armorum, & quòd Iudices maris antequàm nauis faciat uelum, ſi prædicta arma adſunt, &c. Cap. XII.

Si aliquis defectus fuerit in armis ſuperius in quinq; capitulis nominatis. Volumus, quòd patronus nauis, vel banzoni, uel buzonauis, uel alterius cuiuſcunq; ligni cui aliquid defecerit de ſupradictis rebus comuni noſtro debeat emendare duplum ualimenti totius defectus, cuius medietas in mercatores qui naulizauerũt nauim debeat deuenire. Ad hæc præcipimus, volumus, & mandamus, quòd Iudices maris teneantur ſub virtute præſtiti ſacramenti diligenter inquirere, & in mari antequàm faciat velum, & exeat portũ, ſi quælibet nauis ſuperius noïata arma habuerit ſupradicta.

De licentia conceſſa mercatoribus præſtãdi ſacramẽtum patrono cuilibe nauis, & alterius ligni de nõ uẽdendo correda nauis. Ca. XIII.

Cuilibet mercatori concedimus plenariam poteſtatẽ aſtringendi patronum nauis banzoni, buzonauis, uel cuiuslibet, alterius ligni per proprium ſacramẽtum, quòd nõ uẽdat, nec uendi faciat, nec qualitercunq; alienabit, vel alienari faciat aliqua ratione, uel cauſa modo, vel ingenio aliquo, illa ſarcia, uel corredia, aut aliquid ex eis, quæ in uiatico, uel uiaticis habuerit in naui, & cætera ad munitionem ipſius nauis, uſque ad terminum uiatici fiendi, niſi cauſa meliorandi pro ipſius nauis utilitate illa corredia, uel ſarcia, uel niſi nauem aliquam inueniret cui neceſſaria eſſent illa corredia, uel ſarcia in caſu neceſſitatis, quibus caſibus licitum ſit patrono

de uoluntate,& expreſſo conſenſu maioris partis naulizatorum, & mercatorum ipſius nauis uendere de corredis, uel ſarcijs ſuis alteri naui indigenti, patronus vero qui cōtra præmiſſa fecerit comuni Iadræ ſoluere compellatur in pœnam dupli ualimento illius corredi, uel ſartij quod fuiſſe uenditum apparebit, & hoc uolumus locum habere non ſolum in naue banzono, buzonaue, & quolibet alio ligno à centum miliarijs, uel abinde ſupra, ſed etiam in quolibet alio ligno naulizato.

De forma ſacramenti fiendi per marinarium iturum ſuper, &c. Cap. XIIII.

Ego marinarius in naui in qua eſt Patronus ipſius nauis. iuro ad Sancta Dei Euangelia, quòd bona fide, & ſine fraude aliqua cuſtodiam, & ſaluabo nauem ipſam, & corredia nauis, & auere quod fuerit in ipſa naui cuius ego ſum marinarius, & non furabor, nec furari faciam, ſeu permittam aliquid de ipſa naui, & ſi ſciuero, quòd aliquis de ipſa naui, aliquid defraudauerit ipſum, quàm citius potero reuelabo, ſeu denunciabo patrono ipſius nauis, & arma habebo in ipſa naui, quæ continentur in ſtatuto marinariorum, & ſi fuero electus in timonarium ipſius nauis illud officium, ſiue onus minime recuſabo, niſi habuero iuſtum impedimentum, ſiue cauſam recuſandi percipiendo ex hoc illud præcium a marinarijs quod patronus, & naueleriius ſententiabunt. Verum ſi quis marinariorum conſpirationem, coniurationem, ſeu Comunitatem contra Patronum aliquem, uel mercatores faceret perpetraret, ſeu facere procuraret, ſiue comuniter inter ſe, ſiue cum alijs, quàm citius potero reuelabo patrono, ſeu patronis ipſius nauis.

Quod quælibet nauis de centū miliarijs, uſque ad ducenta non completa habere teneatur unum ſcribanum, &c. Cap. XV.

Quolibet lignum, ſiue nauis de centum miliarijs, uſq; ad ducenta non completa habere debeat unum ſcribanum, qui debet ſcribere omnes merces numero, & pondere, quæ in naui carecabuntur eaſq; ſuo ſigno ſignare teneatur. Debet autem ſcribanus per Patronos nauis eligi in ciuitate Iadrenſi, & præſentari Iudicibus maris, & ipſi Iudices diligenter debeat examinare utrum præſentatus ſcribanus ſit ſufficiens, & legalis ad exercendum in ipſa naue officiū ſcribaniæ, & ſi approbatus fuerit per oēs Iudices maris, uel maiorē partē eorū ſufficient reputetur, & poſſit, & debeat ſuum officium exercere, donec autem fuerit examinatus & confirmatus per Iudices maris nullatenus ſe intromittat de officio ſcribaniæ ipſius nauis, Patronus aliter recipiens noſtro Comuni Iadræ ſoluere compellatur ſolidos uiginti denariorum Venetorum groſſorum, ſcribanus ſufficiens ſcribaniæ

aſſumens in aliqua naui, ſeu ligno ſupradicti ponderis præter aſſenſum iudicum maris Comuni Iadræ ſoluere compellatur in pœna decem ſol. denariorum Venetorum groſſorum.

Quod ſcribanus acceptus extra Iadram iurare, &c. Cap. XVI.

Patronus nauis ſi acceperit aliquẽ, uel aliquos ſcribanos extra Iadram. Volumus, quòd ipſi ſcribani debeant iurare ſecundum formã, & tenorem ſtatutorum Comunis Iadræ, ita tamen, quòd ipſi ſcribani non audeant intromittere ſe de ſcribendo, niſi prius examinentur per patronũ nauis, & Nauchlerium, utrum ſint ſufficientes ad officiũ ſcribaniæ necne.

Quod qualibet nauis de ducentis miliarijs, & abinde ſupra habere debeat duos ſcribanos. Cap. XVII.

Mandamus, quòd qualibet nauis, uel aliud lignum de ducẽtis miliarijs, uel abinde ſupra habere debeat duos ſcribanos, qui debent ſcribere omnes res, quæ in naui caricabuntur, ipſas ſignare, ut in ſuperiori capitulo dictum fuit. Debent autẽ eligi ſcribani, & iudicibus maris præſentari, & per ipſos examinari, & approbari, ut in ſuperiori capitulo continetur. Verum ſi aliquis Patronus, uel patroni, aliter reciperẽt, ſeu eligerẽt ſcribanos Comuni Iadræ ſoluere compellantur ſol. uiginti denariorũ Venetorũ groſſorum. Et ſi ſcribani non examinati & confirmati per Iudices maris ſe intromitterent de officio ſcribaniæ in ſupradicta naui Comuni Iadræ pœnam ſol. decem denariorum Venetorum groſſorum ſe nouerint incurſuros.

Quod omne lignum, & nauis, quæ portat merces ad naulum, &c. Cap. XVIII.

Statuimus, quòd qualibet nauis, ſiue lignũ quod portat merces, ſeu mercimonia ad naulum habere debeat unũ ſcribanum eligendum, & confermãdũ, ac approban. ſecũdũ quod in ſtatutis Cõis Iadræ plenius cõtinetur.

De ſacramẽto ſcribani ſuper officio ſuo exercẽdo. Cap. XIX.

Iuro ego ſcribanus ad Sancta Dei euangelia, quòd ſcribam numero, & pondere omnes res, quæ carecabũtur in naui cuius ego ſum ſcribanus legaliter, & bona fide, & omni hebdomada donec nauis fuerit caricata cõcors ero cum ſocio meo ſcribano de omni eo quod ſcripſero in meo quaterno & conſocius meus ſcribanus ſcripſerit in ſuo ſecundum quod caricatum, & ponderatum fuerit in ipſa naui, & cum merces caricabuntur, & ponderabuntur de concordia mercatoris, & patroni, & in naue ponentur, me, uel

ſocio meo preſente ſcribam in meo quaterno nomen illius, cuius merces fuerint,& ſignabo in quaterno ſigno illius quod erit in collo ſuo, aut ſaxe, uel balla,& dabo,& præſentabo cuilibet mercatori,& marinario,ſi recipere uoluerint ſcriptum omnium ſuorum colorum, uel ſaxium, & omnium aliarum rerum ſuarum,ſicut ſcriptum inuenero in meo quaterno, & dari faciam à ſocio meo intra quartam diem poſtquàm nauis uelum fecerit. Item omnes concordias,& pacta quæ patroni,& mercatores habebunt inter ſe, ſi per eos laudatum fuerit quod ea ſcribere debeam, legaliter ſcribam ea in meo quaterno, & partibus, ſi uoluerint copiam inde dabo.Item omnes concordias & pacta quæ patroni habebunt cum marinarijs ſcribam in meo quaterno.

De pactis factis inter patronum nauis de minus centum miliarijs,&c. Cap. XX.

Cum nauis,uel aliud lignum de minus centum miliarijs naulizetur.Volumus quod pacta omnia,& cōcordiæ factæ inter patronos nauium ex vna parte,& mercatores ex altera, ſcribantur per tabellionem, uel fiant coram teſtibus,& teneatur patronus ſeruare ſtatuta Comunis Iadræ facta, & loquentia ſuper nauibus, ſicut tenentur patroni nauium à ducentis miliarijs ſupra.

Quod poſtquàm merces poſitæ fuerint in naue de centum miliarijs,&c. Cap. XXI.

Dicimus, quòd poſtquàm merces poſitæ fuerint in naue ſecundum tenorem,& ordinem ſtatutorum noſtrorum, uel in banzono, uel buzonaui, uel alio ligno de centum miliarijs,vel abinde ſupra. In patronorum cuſtodiam,debeant permanere,& ſicut patronus per ſcriptum merces in cuſtodia receperit, ita eas per ſcriptum cum integritate mercatori reſtituere teneatur,niſi ipſe merces per uiolentiam,aut per ignem perderentur, uel per fortunam temporis deſtruerentur, aut extra nauim iactarentur, ſeu proijcerentur.

Quod patronus nauis de centum miliarijs,&c. Cap. XXII.

Poſtquàm nauis,uel aliud lignum de centum miliarijs,uel ab inde ſupra applicuerit, ſeu portum fecerit in aliquo loco,in quo oportuerit diſcaricari. Volumus,quòd patronus nauis antequàm præparauerit merces mercatoris ad portam ad diſcaricandum notificet,ſeu denunciet mercatori ipſarum mercium,ut merces ſuas recipiat,& tunc mercator illo die,uel ſequenti merces ſuas recipere teneatur,ille uero mercator,qui hoc non fecerit da

re teneatur patrono nauis omni die,quo fuerit in mora accipiendi merces ſuas libras quinq; denariorum Venetorū paruorum,pro centum miliarijs, & abinde ſupra,pro centenario quolibet,& pro ratione centenarij, & ſi minus ipſa nauis portauerit ſoluat pro rata centenarij miliarij ad rationem quinq; librarum pro quolibet centenario miliarij. Verum ſi patronus velit ſe partiri,ſeu ſeparare ad faciēdum alibi uiaticum ſuum licitum ſit eidem patrono diſcaricare merces illius mercatoris in terram, prout ſibi melius placuerit,& expenſas debet,& poteſt facere ſuper mercibus,niſi ſteterit patronus, quod non nauiget propter impedimentum mali temporis; & niſi ſteterit patronus propter merces, quæ deuaſtatæ fuerint quam deuaſtationem,ſiue damnum Iudices loci,ubi quæſtio fuerit ſub orta, debeant definire,ſeu rationabiliter terminare.

Quod merces damnificatæ exiſtentes in naue, per Iudices maris extimari,quibus extimatis Iudices ſatisfacere iubeant mercatorem. Cap. XXIII.

Merces alicuius mercatoris deuaſtatæ ſunt in naue per aquam,petit ipſe mercator reſtitutionem damni à patrono nauis,nec de extimatione damni patronus & mercator poſſunt inſimul eſſe concordes. Volumus, quod tunc,ſi quidem queſtio fuerit in ciuitate Iadræ,Iudices noſtri maris damnum illud debeant videre, & extimare antequàm merces extrahantur de naue,& ſi mercibus damnificatis exiſtentibus in naui damnum illud extimari non poſsit,merces ille per eoſdem Iudices maris diſcaricari iubeantur,vt damnum illud poſsit & ualeat comodius extimari. Si vero queſtio fuerit extra ciuitatem Iadræ tunc Iudices loci vbi queſtio fuerit ſub orta poſsint,& valeāt omnia facere,quæ poſſunt facere Iudices noſtri, ſi queſtio fuiſſet in ciuitate Iadræ. Extimatione vero facta,tunc prædicti Iudices de extimatione damni poſsint & debeant facere ſatisfieri mercatori, ſecundum, & quam citius de iure eis videbitur conuenire, niſi forte patronus poſſet probare coram Iudicibus antedictis, quòd damnum illud contigiſſet occaſione extinguendi ignem, uel propter fortunam temporis eueniſſet, quibus caſibus nolumus,quòd patronus incurrat pœnam, ſeu aliquod detrimentum.Verum ſi aliquod damnum euenerit in oleo,uel zucharo,vel vino alicuius,uel in alio liquido ipſi Iudices faciant ſatisfieri mercatori ſecundum extimationem damni, ſi ſupradictis iudicibus uideretur, quòd damnum illud euenerit occaſione patronorum. Et ſi mercatores de naue extraherent aliter merces ſuas, nulla reſtauratio fiat eis. & hoc intelligimus non ſolum in naui,& in quolibet ligno cooperto de centum miliarijs, uel abinde ſupra; ſed etiā in quibuslibet naui,& ligno de minori pondere, quæ,uel quod portet merces,ſeu mercimonia ad naulum mercatorum.

De ſatisfactione facienda mercatoribus de quolibet ſacco, tam bambaxij. Cap. XXIIII.

Rationabiliter ordinamus, quòd patroni nauis teneantur emẽdare mercatori, cuilibet de quolibet ſacco bambaxij de ultra mare quod fuerit extractum per pilum de naue cum diſcaricabitur libras ſeptem paruorum. De quolibet ſacco bambaxij de Romania, uel de Calabria libras quatuor paruorum. Item de quolibet ſacco lanæ de Tunixo aut de Barbaria libras ſex paruorum, de quolibet ſacco lanæ de Rota libras quatuor paruorum emendare teneatur patronus. De quolibet ſacco, & de qualibet ſtora aliarum lanarum, ſolidos quadraginta paruorum, & ſi patroni ſoluere recuſarent prædictam pecuniæ quantitatem, infra quindecim dies poſtquàm Curiæ fuerit declaratum, Dominus Comes, & eius Curia compellat patronũ ſatisfacere mercatori, cuius ſachus, ſeu ſtora fuerit depellata hoc locum habere volumus, non ſolum in naue, ſed etiam in quolibet ligno cooperto de centum miliarijs, vel abinde ſupra.

Quod mercator, uel marinarius, uel miles, aut ſacerdos quilibet unam tantum caſelam in naui. Cap. XXV.

Neceſſario duximus obſeruandum, quod quilibet mercator, uel marinarius, uel miles, aut ſacerdos ipſius nauis unam tantum caſelam habeant in eadem naui ad ponendum in ea quidquid uoluerit ſeruitores, aut nullam habeant poteſtatem deferendi caſelam in eadem naui aliqua ratione, uel cauſa. Verum ſi aliquis prædictorum poſuerit in naui ultra unam caſelam, uel ſeruitor poſuerit aliquam caſelam in naui ſoluere teneatur patrono nauis naulum pro ipſa.

De licentia conceſſa marinarijs & naulizatis ferendi vnum mataracium. Cap. XXVI.

Vtiliter prouidimus concedendum, quòd omnis naulizatus & marinarius habeat poteſtatem ponẽdi & portandi in naue naulizata unum mataracium de ſeptẽ rotulis, vel de libris quadragintaquinq;, & nõ de pluribus, quòd ſi de pluribus fuerit de toto mataracio naulum ſoluat patrono, & uolumus, quòd prædictum mataracium poſsit deferre ſi lectum non habuerit in naui, ſed ſi lectum habuerit & mataracium in naui poſuerit de ipſo ſoluat naulum patrono.

Quod nulli mercatori, uel marinario liceat portare ligna in ea, &c. Cap. XXVII.

Iubemus, quòd nullus mercator, vel marinarius ligna portet in naui, niſi ea

niſi ea quæ eiſdem ſufficiant,uſque ad locum ad quem ire intendunt, uerum ſi vltra hoc poſuerint in naui omnia ſuperflua ligna debeant deuenire ad patronos nauis,hoc locum habere volumus,non ſolum in naue, uerum etiam in quolibet ligno cooperto de centum miliarijs,vel abinde ſupra.

De quantitate vini,& aquæ conceſſa ferendi in naue ituri per Barbariam. Cap. XXVIII.

Confidenter præcipimus,ut ituri vltra mare,& per totam Barbariam habere poſsint in naui, tam eundo, quàm redeundo unum bigoncium vini, uel quatuor Iadrenſia modia,pro quolibet,& nō vltra, & totidem de aqua & non plus. Ad alias vero partes quilibet iturus portare poſsit & debeat in naui duo modia,& dimidium Iadrenſia de uino,& totidem de aqua,& nō plus, quicunque vero plus poſuerit in naui,ſiue de vino, ſiue de aqua,illud plus computatur in miliarijs,& cantarijs ſuis,hoc locum habere volumus non ſolum in naui, uerum etiam in quolibet ligno cooperto de centum miliarijs, vel abinde ſupra.

De quantitate farinæ & biſcoti conceſſa ituris ultra Mare,& alias partes extra gulfum. Cap. XXIX.

Quilibet eorum qui uadit vltra Mare, uel ad omnes alias partes extra gulfum poſsit ſecum portare in naui, duo modia Iadrenſia inter farinam, & biſcotum,tam eundo quàm redeundo,qui vero plus poſuerit, illud plus in ſuis miliarijs, & cantaris debeat computare.

Quòd quicunq; poſuerit in naue pluſquàm ponere debuerit de illo pluri duplum ſoluere. Cap. XXX.

Si aliquis plus poſuerit in naui, quàm ponere debuerit, de illo pluri in naui poſito ſoluere teneatur patrono duplum nauli ad rationem miliarij, ſeu cantari ſui, hoc intelligimus non ſolum in naue, ſed etiam in quolibet alio ligno de centum miliarijs, & abinde ſupra.

Peregrini non teneantur ad reſtaurationem damni ſuperuenientis in arbore,antena,aut ancoris,ſed pro eis patronus nauis partem, &c. Cap. XXXI.

Si alicui naui,vel alteri ligno de centum miliarijs,uel abinde ſupra, quæ uel quod tota fuerit naulizata,uel naulizatum peregrinus damnū aliquod euenerit in arboribus,uel antenis,ſeu velis,aut timonibus,aut ancoris,ſiue barca,uel alio coredo nauis,uel ligni ſupra ſalientis. Volumus,quòd mari-

narij,qui habent merces,ſeu mercimonia in ipſa naui, uel ligno de damno prædictarum rerum,uel aliarum ex ipſis reſtaurare minime teneantur. Verum ſi in ſupradictis corredis nauis,uel alterius ligni naulizaræ, uel naulizati per aliquos mercatores in qua etiam, uel in quo patronus multos incluſerit peregrinos damnum euenerit, fiat reſtitutio ipſius damni, ſecundum,quòd contigerit pro ratione totius nauli peregrinorum & mercatorum,ita quòd partem peregrinorum ipſius damni patronus nauis,uel alterius ligni ſibi debeat computare, ita,quòd peregrini nihil ſoluant, partem autem aliam quæ tangit mercatores patrono nauis, ſeu alterius ligni, ipſi mercatores plenarie reſtituere teneantur.

Quod licitum ſit patrono marinarium pacta & conuentiones non ſeruantem,&c. Cap. XXXII.

Ne aliqua materia ſcandali oriatur inter marinarios, & patronos nauis, & cuiuſcunq; alterius ligni. ordinamus,quòd ſi aliquis marinarius contra pactum,& conuentionem factam cum patrono,uel patronis relinquerit nauem,ſeu lignum licitum ſit patrono, uel patronis retinere ipſum marinarium donec adimpleatur pactum conuentionis initæ inter ipſos. Marinarius vero,uel marinarij,qui uiolenter,uel furtiue relinquerint nauim contra pactum teneantur reſtituere in duplo,totam marinariciam ſuæ mutuæ, & inſuper tantum quantum Rectores, ſeu Iudices ſuper hoc ordinati voluerint ipſum matinarium,uel marinarios condemnare, & hoc locum habere uolumus,non ſolum in naui,ſed etiam in quolibet ligno coopetto de centum miliarijs, & abinde ſupra.

Quod ſi patronus per octo dies poſt terminum conſtitutum non ſoluerit,&c. Cap. XXXIII.

Si patroni non fecerint pagamentum marinarijs in termino conſtituto ex tunc in antea,ſi per octo dies patroni fuerint in mora poſt terminũ conſtitutum reſtituere ipſum pagamentum in duplum teneantur. Hoc locum habere volumus cum ipſi patroni fuerint in aliqua ciuitate.

De quarta parte marinaritiæ,& nauli ſoluenda patrono & marinatijs, ſi nauis,&c. Cap. XXXIIII.

Si nauis aliqua fuerit naulizata ire ad partes Romaniæ, uel vltra mare, vel ad alia loca huiuſmodi,ita quòd quando peruenerit ad locum illum debeat eſſe ſcapula,& poſtea contingerit,quòd ipſa nauis ad illas, uel ad alias partes eundo, uel redeundo in uiatico de uoluntate oĩum mercatorũ, ſeu marinatiorum,uel maioris partis eorum debeat inuernare, ſeu per totam

hyemem ſtare ibidem. Volumus quòd quarta pars totius nauli debeat adiungi patronis per mercatores naulizatos,& ipſi patroni marinarijs qui fuerint marinarij ad viaticum iungere teneantur pro inuernatura quartã partem marinariciæ. Patroni vero, & marinarij naulizatis debeant obſeruare, quòd inter ipſos fuerit ordinatum. Hæc oĩa locum habere volumus, nõ ſolũ in nauibus, ſed etiã in quolibet ligno de centũ miliarijs, vel abinde ſupra. Verum ſi marinarij, qui ſunt ad annum, uel ad muduam ſancti Andreæ cadunt in caſum huius capituli, ita quòd mercatores teneantur inuernare ibidem cum patronis nauium. Volumus, quòd ipſi marinarij teneantur ſociare, & non relinquere nauim, & uiagium complere, & recipere pagamentum nauis pro rata anni, menſis, & diei uſquequo reuerſa fuerit de uiagio illo.

Qualiter quæſtiones inter euntes in aliqua naue ſubortæ manentes difiniri debent. Cap. XXXV.

Si aliquæ diſcordiæ, ſeu quæſtiones ſubortæ fuerint inter euntes in aliqua naue. Volumus, quòd completo uiatico, poſtquàm nauis ad portum applicuerit, antequàm nauis diſcarigetur quælibet partium infra quinque dies dare debeat pignus bonum Iudici, ſeu Iudicibus ordinatis ad rationem faciendam ſuper hoc. Pignore vero dato abſque contradictione alicuius ipſa nauis diſcaricari poſſit, naue uero diſcaricata infra quindecim dies ratio poſtuletur de quæſtionibus, & diſcordijs ſupradictis, & ſi infra quindecim dies ſuper prædictis aliqua partium non petierit rationem, pignus ſuum redatur cuilibet partium, ita quod in poſterum aliqua partium exinde non poſsit aliam partem perpetuo moleſtare. Verum ſi in dando pignus inſufficiens inter partes aliqua quæſtio oriretur, tunc vtraque partium illud debeat obſeruare, quod Iudici, ſeu Iudicibus ſuper hoc electis viſum fuerit decidendũ, ad hæc, ſi aliqua partium rebellis fuerit, ſiue in nõ dãdo pignus, ſiue in dando non ſufficiens, ſecundũ arbitriũ Iudicis, ſeu Iudicum extunc in antea liceat parti obtemperanti, ſeu obedienti tantum intromittere de bonis alterius partis, quæ ſunt in naui, quod ex ipſis diſcordijs, ſeu quæſtionibus valeat eſſe ſecurus, & ſi bona aliqua non fuerint in naue, ipſi Iudices debeant tollere tantũ de bonis partis nõ obediẽtis ubicunq; fuerint quantum eis uidebitur eſſe iuſtum. Saluis illis quæſtionibus quas dominus Comes, cum noſtris Iudicibus habent, & definire tenẽtur, hoc intelligimus locum habere, non ſolum in naue, ſed etiam in quolibet ligno cooperto de centum miliarijs, vel abinde ſupra.

Quod Iudices maris poſsint imponere & auferre,&c. Cap: XXXVI.

Quando patroni nauium ad terminum eis impoſitum nauem non diſcaricauerint. Volumus, quòd noſtri Iudices poſsint eis pœnam imponere & auferre, quæ pœna poſtea debeat aſsignari Comunæ Iadræ, hoc intelligimus, non ſolum in naui, ſed etiam in quolibet ligno cooperto.

Quòd nullus poſsit facere fieri guaitam per ſe in naui.
Cap. XXXVII.

Nullus mercator, nec patronus, nec marinarius, nec ſupraſalientes alicuius nauis, poſsint facere fieri per ſe guaitam in naui per aliquem ſeruientem ſub pœna quinq; librarum denariorum Venetorũ paruorum pro qualibet vice; cuius pœnæ quatuor partes ueniant in Comune, quintam uero partem accuſatori concedimus. hoc locum habere uolumus, non ſolum in naue, ſed etiam in quolibet alio ligno cooperto.

Qui tenentur de damno contingente in mercibus. Cap. XXXVIII.

Arriuauit aliqua nauis in Iſtria, uel ſupra portum, uel in alio loco, & poſtquàm arriuauerit oportet ipſam aleuiari, ſeu exonerari, ſi aliquid de mercibus extraheretur de ipſa naue cauſa aleuiandi ipſam de conſenſu maioris partis, & uoluntate patronorum, & mercatorum, & pro ipſius nauis utilitate, & damnum aliquod euenerit in illo auere, ſeu mercibus, quæ de naue extractæ fuerint. Volumus, quòd damnum illud computetur communiter in comune auere nauis, & omnes expenſæ quæ fiunt cauſa aleuiationis ipſius nauis, niſi forte aliquod pactum, ſuper hoc factum fuerit inter mercatores & patronos, tunc enim volumus illud pactum inuiolabiliter obſeruari, & hoc locum habere uolumus, non ſolum in naui, ſed etiam in quolibet ligno cooperto.

Quod ſi aliquod lignum fuerit robatum illud damnum, &c.
Cap. XXXIX.

Cum nauis, ſeu aliud lignum robata, vel robatum fuerit. Volumus, quòd damnum illud ſit in comune auere nauis. Verum ſi per aliquod tẽpus damnum illud recuperaretur in comune auere, unde acceptum fuit debeat deuenire, & hoc intelligimus de Iadratino ad Iadratinum.

Quod patronus non poſſit expellere ſorterium, &c. Cap. XL.

Præcipimus, quòd omnes conuentiones, ſeu pacta quæ facta fuerunt inter patronos, & naulizatos, aut ſorterios, uel marinarios nauis, uel inter omnes alias perſonas exiſtentes in nauibus firmæ & ſtabiles debeant perma-

nere, ac inuiolabiliter obſeruari, niſi ipſa pacta, & conuentiones eſſent contra noſtra ſtatuta Comunis Iadræ. Nam tunc uolumus, quòd ipſa ſtatuta inuiolabiliter obſeruentur, ad hæc præcipimus, quòd patronus non poſsit expellere ſorterium, nec ſorterius poſsit derelinquere patronum, ſed teneantur obſeruare integraliter pacta, & conuentiones irrita inter ipſos ſub pœna xx. ſolidorum groſſorum pro parte non obſeruante ipſa pacta, cuius medietas deueniat in partem obſeruante ipſa pacta, altera medietas applicetur Comuni Iadræ.

De qualibet queſtione inter ſocios eiuſdem nauis, &c. Cap. XLI.

Si aliqua quæſtio oriatur inter ſocios eiuſdem nauis, uel alterius ligni, ſeu inter plures patronos eiuſdem nauis, & aliquis ex ipſis patronis, ſeu ſocijs habuerit penes ſe de bonis comunibus, ſeu de comunibus introitibus nauis. Volumus, quòd illa quæſtio leuato uelo adeſt ſumarie & ſine ſtrepitu, & figura iudicij, ac ſine diſtricta terminetur, ita quod ſi poſt primũ præceptum non comparuerit citatus detur ſententia, recepto prius ſacramento petentis, ſi autem reus citatus comparuerit audiatur quid dicere, ſeu allegare uoluerit, & accepto uno termino curia procedat ad accipiendum probationes actoris & rei ſi aliquid probare uoluerint, poſtea Curia teneatur ipſam quæſtionem terminare, uel per ſacramentum, uel alium modum, pro vt ſibi uiſum fuerit melius expedire.

Quod mercator teneatur ſatisfacere patrono, uel pignus antequàm de naue. Ca. XLII.

Satis probabile nobis videtur, quòd mercator teneatur ſatisfacere patrono nauis de naulo, uel pignus ſufficiens aſsignare antequàm ipſe mercator extrahat, ſeu recipiat merces ſuas de naue, & ſi mercator pignus aſsignauerit patrono. Volumus, quòd ipſe mercator illud pignus debeat luere infra tertiam diem, poſtquàm nauis fuerit diſcaricata, & ſi infra tertiam diem non redimerit pignus ſuum perdat illud, & applicetur patrono, Verum ſi contingerit, quòd nauis non diſcaricaretur in totum, ſed in partem, & oporteat nauem ad alias partes facere viaticum ſuum, tunc ſuper facienda ſolutione nauis patrono obſeruetur pactum initum, ſeu factũ inter mercatorem & patronum nauis, & ſi pactum aliquod inter ipſe non eſſet appoſitum, ſuper hoc teneatur mercator incontinenti ſoluere patrono naulum nauis, quòd ſi ipſe mercator incontinenti ſoluere noluerit naulum nauis auctoritate huius ſtatuti damus patrono plenariam poteſtatem recipiendi & retinendi in ſe bonum & idoneum pignus de mercibus ipſius mercatoris pro ſolutione nauli quam debet recipere à mercatore, reſiduum autem mercium talis mercatoris, uel patronus nauis tradat eas mercatori, ſi eas

vult recipere,uel ponat eas in terram expenſis ipſarum mercium poſtea faciat nauigium deſtinatum patronus.

Quod patronus marinario ad muduam conuentato,&c. Cap. XLIII.

Si contingerit,quòd marinarij qui pepigerint ad eundum, uſq; ad muduam ſancti Andreæ cum patronis ſuper aliquam nauim ſtent, & ſeruiant ipſi naui ultra terminum muduæ patronus teneatur eiſdem ſatisfacere à die contracti pacti in antea pro rata temporis, & diei. Et ideo uolumus & mandamus,quòd ſcribanus teneatur ſcribere in quaterno annum, menſem,& diem,quibus marinarij fuerint in concordia cũ patronis,ut per hoc ſciatur tempus facti concordij & tempus quo ſeruiuerunt naui vltra muduam prædictam.

Quod pagamentum muduæ patroni nauium,&c. Cap. XLIIII.

Equaniniter nobis videtur, quòd pagamẽtum muduæ patroni nauium faciant,& facere teneantur marinarijs per terzariam diuidendo. Videlicet tempus muduæ in tres terminos.Ita quòd ſi mudua fuerit ad nouem menſes prima ſolutio fiat die facti concordij inter patronos & marinarios,ſecunda & tertia ſolutio fiat marinarijs per patronos in principio, quorumlibet trium menſium temporis ſubſequentis.

Quibus res perditæ,aut de naue proiectæ propter fortunale per aliquos,&c. Cap. XLV.

Cum res aliqua cuiuſcunq; valoris propter fortunale,uel temporis tempeſtatem perdita,ut proiecta de naui inuenta fuerit per aliquos tranſeuntes ſupter fundum aquæ.Volumus,quòd medietas rei taliter adinuentæ ſit illius qui rem prædictam recuperauit, ſeu extraxit, uel ſurzerit de fundo aquæ,alia vero medietas ſit patronorum nauis periculatæ.Sed ſi res natans ſuper aquam inuenta,& recuperata fuerit,ille qui eam recuperauit,habeat tertiã partẽ ipſius,reliquæ duæ partes aſsignẽtur patrono nauis;proinde volumus,& mandamus, quòd inuentores huiuſmodi rerum teneantur ipſas res conducere in portum Iadræ,eo ſaluo,quod ſi aliqua pacta inita fuiſſent inter patronum ex una parte,& inuentorem ex altera ſuper ipſis rebus recuperandis.Volumus,quòd talia pacta debeant integraliter obſeruari.Verum ſi aliqua barca turzida exiret portum Iadræ,aut de eius diſtrictu, ita quòd propter fortunale temporis qua uis ſana,& non fracta, tamen turcida reperitur hominibus exiſtentibus,in ea periculatis,aut euaſis.Tunc volumus,quòd illi, qui huiuſmodi barcas inuenerunt, & recuperauerunt ac

in portum Iadræ conduxerunt percipere debeant,& habere mercedem ſui laboris,quam Iudices maris extimarent fore meritoriam rationabilem & condignam.

Si nauis propter diſcordiã inter ſocios ortam ceſſaret. Cap. XLVI.

Si plures ſocij fuerint de aliqua naui,ſeu alio ligno,ita quòd quilibet habeat in ipſa,uel in ipſo partem ſuam, & talis diſcordia oriretur inter eos, quòd ob ipſam diſcordiam nauis,non nauigaret, nec aliquod uiagium faciat. Præcipimus,quòd licitum ſit cuilibet ipſorum ſociorum ad incantum ponere nauem ipſam,& illi ſiue de ipſis ſocijs, ſiue de alijs hominibus, qui plus obtulerint in incantu debeant deliurari, quæ locum habere uolumus in Iadra ſolummodo, & non alibi.

Qualiter filiusfamilias,& qui uis alius in alterius,&c. Cap. XLVII.

Cum aliquis cuiuſcunq; condictionis in alterius poteſtate exiſtens, ſine uoluntate patris,uel Domini acceperit marinariciã, de eundo, & ſeruiẽdo in naue aliqua,ſeu quolibet alio ligno, & propter eius defectum pœnã aliquam inciderit.Volumus,quòd ipſe ſoluere teneatur pœnã quã incurrit de marinaricia,quã accepit,eo nõ obſtante,quòd in alterius fuerit poteſtate.

De pœna dupli auferenda illi, qui rem ſibi aſsignatam per mercatores. Cap. XLVIII.

Vt fides debita cuilibet obſeruetur. Volumus,quod ſi mercator patronus,nauchlerius,aut marinarius alicuius nauis,ſeu alterius cuiuſcunque ligni,aut alia quæcũq; perſona cuiuſcũq; cõdictionis,ſtatus,uel ſexus exiſtẽs dederit in terra,vel in mari alicui eunti per terrã,aut nauiganti per aquam aliquam rem,ſeu pecuniam,ut deferatur,& aſsignetur,aut perſonæ nominatæ,aut eius familiæ,ſi illa perſona nominata non poterit inueniri, & ille qui recepit ipſas res,uel pecuniam non aſsignauerit eam, uel eas infra tertiam diẽ perſonæ,aut familiæ ordinatis,teneatur ipſe reſtituere in duplum ipſas res,& pecuniam aſsignatas illi qui dederat ſibi res prædictas, ſeu pecuniam,& ad hoc per Curiam modis omnibus compellatur.

Quod ſuprapoſto poſito per patronum in aliqua naui,&c. Cap. XLIX.

Si præpoſitus,ſeu ſuprapoſtus aliquis poſitus fuerit per patronum in ali qua naui,ſeu ligno,de quo conſtet per inſtrumẽtũ,uel teſtes, nõ liceat eidẽ præpoſito vendere nauem,ſeu lignum illud,niſi habuerit plenam licentiam & comiſsionẽ per inſtrumentum,vel per aliud ſcriptũ uendendi nauẽ illam

ſeu lignum, & qui contrafecerit ſatisfaciat patrono integraliter de omni damno & intereſſe quod incurrerit iſta de cauſa de quo damno & intereſſe credatur ſacramento patroni, uerum ſi ipſe præpoſitus talem incurrerit neceſsitatem quod oportuerit eum uendere ipſam nauem ad ſupradictam pœnam nullatenus teneatur.

Quod ſuprapoſtus nauis præterquàm portui Iadræ,&c. Cap. L.

Cum aliquis præpoſitus, ſeu ſuprapoſtus alicuius nauis,uel ligni applicuerit portui Iadræ cum ipſa naui,uel ligno, volumus, quòd idem præpoſitus teneatur vſque ad tertiam diem facere rationem patrono cuius uices geſsit in naui de omni introitu & exitu ipſius nauis, qua ratione facta teneatur ipſe præpoſitus,uſq; ad tres dies alios ſubſequentes ſatisfacere patrono de omni eo quod repertum fuerit habere penes ſe de auere patroni, & ſi contrafecerit nõ ſatisfaciendo patrono infra terminum ſupradictum. Volumus,quòd ab eo termino in antea, ſi per quindecim dies,ipſe præpoſitus ceſſauerit in ſoluendo nomine pœnæ, ſoluere teneatur vltra id quod dare tenetur patrono ſoldos duos denariorum Venetorum paruorum pro qualibet libra. Verum ſi poſt ipſos quindecim dies ipſe ſuprapoſtus ceſſauerit in ſoluendo illud quod tenetur patrono cum pœna ſupradicta ſolidorum duorum pro libra. Volumus & mandamus, quòd ipſe præpoſitus, ſeu ſuprapoſtus ſoluere & ſatisfacere teneatur patrono cum duplo, tam ſortem,quàm pœnam duorum ſolidorum pro libra.

Quod ſuprapoſtus cuiuslibet nauis introitus,&c. Cap. LI.

Quia ea quæ reducuntur in ſcriptis facilius ſolent memoriæ commendari præſentis ſtatuti oraculo. Volumus & mandamus, quòd quilibet præpoſitus, ſeu ſuprapoſtus omnes introitus & exitus nauis,ſiue ligni in quo, uel in qua præponitur,teneatur ſcribi facere in quaterno ſcribani, quòd ſi non fecerit credatur ſacramento patroni de omni eo quod fuerit in quæſtione inter ipſum patronum,& præpoſitum.

Quilibet marinarius in aliquo de corredis nauis damnum.
Cap. LII.

Marinarius aliquis doloſe dedit damnum in aliquod de corredis nauis præcipimus, quòd patrono nauis duplum reſtituere teneatur, & credatur patrono de damno & valore damni.

Qualiter licitum ſit patrono mercimonia alterius nauis
periculatæ in ſua recipere,&c. Cap. LIII.

Firmiter

Firmiter ſtatuimus, quòd ſi aliqua nauis iūxerit cum alia naue violata in corredis ſuis per aquam, uel periculata quocunq; alio modo, ſiue in portu, ſiue in quocunq; alio loco, liceat patronis concordes eſſe, & recipere de patronis, uel mercatoris nauis uiolatæ in ſua naue, & de rebus, ſeu mercationibus ipſius nauis periculatæ, & portare eos & eas ad illum locum ad quem concordium factum fuerit, eo ſaluo, quòd ſi nauis fuerit caricata, & per mercatores naulizata, hoc patroni facere non poſsint, ſine voluntate & licentia mercatorum petita habita & conceſſa, & ſi marinarij fuerint ad muduam, ſiue ad menſem non poſsint contradicere patronis, nec partem aliquam habeant de naulo ſuperuenienti. Verum ſi marinarij recepti fuerint ad certum uiagium ſatisfiat eis ad rationem uiagij propter patronos mercatores, & res ſuperuenientes pro miliarijs, & ad rationem miliariorum ſecundum quod debebat ſatisfieri eis de primo uiagio.

Quod marinarij conducti ad eundum ultra gulfum ad viagiū nauim ſequi teneantur omnino. Cap. LIIII.

Patronus aliquis conduxit marinarios ſuos vltra gulfum ad uiagium poſtea patronos ſcambiauit uiagium, & ad alias partes ire intendit. Volumus quòd marinarij teneantur ſequi patronū quocuuq; voluerit ire cum naue ſua ſub pœna perdendi duplum eius quod debebat habere pro illo uiagio pro marinaricia, & patronus teneatur ſatisfacere marinarijs pro miliario, & ad rationem miliarij, ſecundum concordium primo factum pro primo uiagio faciēdo ſub pœna ſoldorum decem denariorum Venetorum groſſorum, dum tamen non mutetur uiagium, ut eatur ad locum prohibitum, ſeu interdictum per Eccleſiam Romanam.

A quanta quantitate ſupra marinarij vaream facere compellantur. Cap. LV.

Vt omne prorſus litigium tollatur. Volumus firmiter obſeruari, quòd marinarii teneantur facere uaream, ſi damnum fuerit à decem libris ſuperius, & ſi damnum fuerit infra x. libras, marinarij uaream minime facere teneantur.

Si nauis, uel lignum propter aliquod accidens venerit ad terram, aut fuerit deuaſtatum marinarij illud ſequi debeant. Cap. LVI.

Si aliquod lignum uenerit ad terram, aut fuerit deuaſtatum & patronus ligni voluerit illud facere reparari, Volumus, quòd marinarij dicti ligni teneantur ſtare, & ſequi illud lignum quouſq; ipſi patrono placuerit, & nauis

ſeu lignum fuerit reparatum,& ad locum deſtinatum perductum, quòd ſi marinarii relinquerint patronum,& nauem cõtra voluntatem patroni perdant duplum eius,quod pro marinaricia habuerunt, ſeu habere tenentur. Patronus tamen teneatur & debeat ſatisfacere marinariis integraliter de toto tempore quo ſteterunt. Si uero marinarius ab ipſo principio pactum, & concordiam fecerit cum patrono,& Domino naues,quòd ipſe Dominus teneatur dare marinarijs uictum,& certam mercedem, tunc ipſe patronus teneatur marinarijs dare,& expenſas & mercedem ſecundum quod à principio conuenit,donec ipſa nauis,ſiue illud lignum fuerit integraliter reparata, ſeu reparatum.

De pœna quam pati debet, qui furtum naui contraxit. Cap. LVII.

Inuiolabiliter præcipimus obſeruari,quòd ſi aliquis marinarius inuentus fuerit manifeſte feciſſe furtum in naui, ſiquidem repertus fuerit cum ipſo furto antequam furtum perduxerit ad locum deſtinatum ſoluat quadruplũ ei cuius ipſa res fuerat, ſi uero iam peruenerat ad locum deſtinatũ duplum tantũmodo ſoluat,& licitũ ſit patrono,uel licẽtiare illũ furẽ de naui ſi uoluerit,vel ipsũ tenere prout ſibi melius uidetur, & vtilius expedire.

Per quos rixantes in naue debeant iudicari. Cap. LVIII.

In naui, vel alio ligno rixam aliquam, ſeu litigium marinarius fecit, volumus,quòd patronus nauchlerij,& proderii ipſos rixantes iudicent,ac puniant,prout eis uidebitur fore iuſtum.

Quod patronus uendita naue in terra Saracinorum,&c. Cap. LIX.

Obſeruari firmiter ordinamus,quòd ſi aliquis patronus,ſeu patroni uẽdiderit nauẽ ſuã,ſeu aliud lignum, aut ipſam nauem neceſſario deſtruxerunt,ſeu ad maciam poſuerunt in terra Saracinorum teneatur patronus, ſeu patroni marinarios eiuſdem nauis conducere in terram Chriſtianorũ, & pro eis naulum exhibere,ſi ad terram Chriſtianorum ipſi marinarii deſiderauerint remeare,ſeu redire,quòd ſi patronus prædicta nõ obſeruauerit teneatur marinariis duplum ſatisfacere expenſas, quas ipſi marinarii ſubſtinerent illa de cauſa.

Qualiter patronus ſuo marinario infirmo in uictu ſubuenire tenetur. Cap. LX.

Aliquis marinarius ad comeſtionem patroni receptus infirmitate tali grauatur in uia,quòd non poteſt comode ſuſtentari de comunibus come-

ſtionibus aliorum marinariorum congruum eſſe uolumus, quòd iſte talis marinarius habere debeat à patrono omni die pro uictu ſuo duos ſoldos denariorum Venetorũ paruorũ, uel ſi uoluerit prius ſtare comeſtioni marinariorum. hoc ſit licitum ſibi, uerum quia multi marinarii liberati ab infirmitate fingunt ſe non liberatos, ut habeant omni die prædictam pecuniæ quantitatem. Volumus, quòd in prouidentia ſit ſcriuani, & nauchlerij iudicare, quando ille talis infirmus intelligatur de ipſa infirmitate plenarie liberatus.

De ſolutione facienda marinario, qui extra Iadram propter infirmitatem oportet re. Cap. LXI.

Miſericorditer ordinamus, quòd ille marinarius, qui extra Iadram aliqua infirmitate grauaretur, & manere uoluerit, ſiue eum oportuerit de viagio illius nauis propter infirmitatem quam ſuſtinet, habere debeat totum pagamentum quod iam in naui deſeruierat, ac etiam totius temporis quouſq; nauis uelum fecerit, & inſuper vſq; ad unum menſem habeat ſoldos duos paruorum pro die, & ſit in prouidentia patroni illius nauis, ſeu ligni, vtrum ipſe marinarius ſit dimittendus, nec ne, quòd ſi patronus uoluerit proueniat, & marinarius uenire noluerit forte timens, ſtetur iudicio nauchlerij, & ſi poſtea noluerit uenire ſoluat pœnam in quam cadunt alij marinarij.

Quod hæredi marinarij defuncti extra Iadram, & inter gulfum in viagio fieri debeat integrum pagamentum. Cap. LXII.

Si marinarius ad uiagium moriretur extra Iadram intra gulfum in uiagio, hæres eius habere debeat integrum pagamentum quod pro illo uiagio ſibi promiſſum fuit, & hoc locũ habere volumus, ſi ipſe marinarius iam defunctus non recepiſſet ante mortẽ ſuã totalis viagij integrum pagamẽtum.

De ſoluendi hæredibus marinarij ad muduam pacti per terzariam itinere. Cap. LXIII.

Fauorabiliter ordinamus, quòd ſi marinarius qui fecerit muduam cum patrono de loco illo ubi concordium factum fuerit ſe diuiſerit cum naui, & poſtea ipſum contingerit aſpirare in primo terzerio, ſi non habuerit integram marinariciã de primo terzerio. Hæredibus eius debeat per patronũ integra marinaricia aſsignari. Verũ ſi defecerit marinarius in ſecundo terzerio, uel in tertio, non plus accipiant hæredes, nec ad plus teneatur patronus, niſi quod ei acciderit pro rata tẽporis, ſeu menſis, & diei, à tẽpore ſecundi & tertij terzerij, uſq; ad tempus marinarij iam defuncti.

De ſolutione fienda marinarijs exiſtentibus vltra tempus, ſi nauis uendita fuerit, &c. Cap. LXIIII.

Si in ciuitate Iadræ patronus uendiderit totam nauem ſuam, & marinarij ultra tempus quo ſeruierant in naui aliquam pecuniam recepiſſent. Volumus, quòd illam ſibi retineant, nec teneantur ipſam reſtituere patrono. Verum ſi extra Iadram patronus ipſe uendiderit nauem ſuam in aliquam terram chriſtianorum teneatur ipſe patronus de toto ſoldo integraliter ſatisfacere marinarijs antedictis. Sed ſi contingerit, quòd ipſe patronus vendiderit nauem ſuam in terram Saracenorum præter ſoldum, quòd patronus nauis marinarijs tenetur integraliter dare, teneatur inſuper dare ſibi naulum, ita quòd poſsint redire ad terram Chriſtianorum, quod ſi patronus prædicta non obſeruauerit, teneatur ipſe marinarijs in duplum ſatisfacere expenſas, quas ipſi marinarij ſuſtinerent illa de cauſa.

Quod concordia inter patronos & marinarios facta, &c. Cap. LXV.

Marinarij fecerunt concordiam cum patronis, & vel per arras, uel per fiduciam firmauerunt concordium, & promiſerunt cum illis eſſe, Patroni poſtea volunt illos expellere de ſuo ſeruitio, ſeu eos dimittere, volumus, quod hoc facere non poſsint ſub pœna totius ſoldi quod debebant habere marinarij antedicti; quam pœnam volumus ipſis marinarijs applicari, niſi forte iuxta cauſa infirmitatis occupauerit marinarios antedictos, uel hoc eſſet de uoluntate partis & concordia utriuſque quibus caſibus declaramus ipſum patronum pœnam aliquam nullatenus incuriſſe. Verum ſi poſt pactum & concordiam factam modo prædicto marinarij uellent relinquere patronos nauis, uel alterius ligni hoc facere non poſsint ſub pœna prædicta, quæ applicari debeat patrono, totaliter & in totum, nulla defenſione audita, niſi in duobus caſibus ſuperius exceptatis.

Quod nullus marinarius poſtquàm fuit concors cum patrono. Cap. LXVI.

Nullus marinarius, poſtquàm concordium fecerit cum patrono nauis ſine licentia ipſius patroni exire audeat ciuitatem in qua nauis exiſtit, qui vero contrafecerit ſoluat patrono ſolidos viginti paruorum pro qualibet die. Verum ſi nauis ipſa fuerit in ſplazia, uolumus quod marinarius nullo modo poſsit relinquere ipſam nauim, quod ſi marinarius relinquerit eam ſoluat patrono duodecim groſſos, pro qualibet die, vel nocte, quo, uel qua relinquerit ipſam nauem.

De miliari marinariorum in naue ponendo,&c. Cap. LXVII.

Cum aliqua nauis fuerit naulizata,& marinarij qui debent ſeruire naui, voluerint ponere ſuum miliare in ipſa naue, volumus ſi omnes partes nauís fuerint plenæ, quod patronus teneatur ſatisfacere marinarijs de toto ſuo miliari,ſeu carcho quod ipſi marinarij ponere poterant in naui ad rationem ſui nauli, uerum ſi ipſi marinarij uoluerint ponere in naui potius ſuum miliare de hoc habeant plenariam poteſtatem, & ſit in eorum arbitrio dum tamen non poſsint ponere in naui pro ſuo miliari aliquem hominem ad hæc, ſi marinarij noluerint ponere in naui ſuum miliare. Volumus, quòd illud uendere non poſsint niſi, uel patrono ipſius nauis, uel alteri de uoluntate patroni.

Qualiter marinarij tenentur ſauornare nauem,&c. Cap. LXVIII.

Statuimus,quod marinarij debeant ſauornare nauem,& recipere mercimonia à mercatoribus,ac ſtiuare,& exhibere, ſeu cōducere res mercatorū ad portā præterquā in ciuitate Venetiarū,vbi prædicta facere nō tenētur.

Quod marinarij lignamen patroni portent ad nauem. Cap. LXIX.

Volumus,quòd marinarij recipiant mercimonia patroni, & portent illa ad nauem & ſtuent ea, Item uolumus, quòd conducant lignamen patroni ad nauem,& de ornent illud, & extrahant de naue in terram, & poſtea portent illud, vbi placuerit patrono.

Quod ſtatuta Comunis Iadræ inter patronos & marinarios. Cap. LXX.

Comunis Iadræ ſtatuta ualere volumus,& tenere vbicunq; locorum inter patronum nauis & marinarios Iadrenſes,nec poſsint marinarij,nec debeant ſuper aliqua quæſtione cōuincere patronum nauis, ſecundum uſum & conſuetudinem loci in quo fecerint quæſtionem.

De naui poſita ad partē cum marinarijs certis pactis. Cap. LXXI.

Nanis aliqua Iadrenſis ponitur ad partem cum marinarijs pacto ſuper hoc poſito inter marinarios,& patronū. Volumus,quod illud pactum ſit firmum,ſi reductum fuerit in ſcripturam.

Quod cuiuslibet rei tam in terra,quam in naui repertæ,&c. Cap. LXXII.

Statuimus,quòd de omni inuentione facta per illos de naui, tam in ter-

ra,quam in mari ſi neſcitur cuius fuerit res inuenta, medietas ſit domini, ſeu patroni ipſius nauis,aliam medietatem habere debeant omnes de naue prædicta inter ipſos equaliter diuidendam.

Qualiter ligna per marinarios facta,& in nauē deducta,&c. Cap.LXXIII.

Cum ligna aliqua fecerint marinarij,& apportauerint ea in nauim. Volumus,quòd nauis habeat de ipſis lignis vnam tertiam partem, ſecundam tertiam partem habere debeat patronus,reliquam tertiam partem marinarij, ſibi debeant retinere.

Quod ſi in mercibus & rebus nauis propter malā calcaturā.Ca.LXXIIII.

Si damnum datum fuerit in mercibus alicuius nauis, ſeu ligni propter malam calcaturam,ſiue in furmēto,ſiue in ſale,ſiue in quacunq; alia re, ſeu merce. Volumus,quòd totum illud damnum patronus illius nauis, ſeu ligni reſtituere teneatur illis quorum res fuerint deuaſtatæ.

Quod poſtquàm nauis exiuerit de portu Iadræ,vel de alio. Cap.LXXV.

Dicimus,& præciſe obſeruari mandamus, quòd ſi aliqua nauis, ſeu aliquod aliud lignum fuerit ſtagnum, & ſanum, quando nauis ſeparat ſe de Iadra,uel de alio portu, & poſtea uiolatur aqua,uel per temporis fortunā, ſeu tempeſtatem,uel per alium modum, illud damnum vadat omnimodo per uaream ſecundum uſum & conſuetudinem diutius approbatam.

Quod marinarij ad mūduam conducti & termino,&c. Cap.LXXVI.

Preciſe obſeruari mandamus,quòd omnes marinarij qui conducti fuerunt ad muduam ſancti Andreæ, ſi termino adueniente nauis nondum Iadram potuit applicari non poſſint eandem nauem derelinquere ſine patronis ipſius nauis licentia ſpeciali,& tunc patronus teneatur plenarie ſatisfacere marinarijs de toto tempore quo ſeruierint,eidem faciendo rationem per menſem & diem,ſecundum formam pacti quo primitus ipſi marinarij fuerint conducti per patronum prædictum.

Qualiter patronus tenetur marinarios retinere,&c. Cap. LXXVII.

Hoc præſenti ſtatuto decernimus,quod nauis,quàm ante terminum muduæ applicuerit Iadræ,& ſtabit ibidem ad inuernandum retineat marinarios uſq; ad dictum terminum,ut poſſint eandem nauem deſmanticare,& correda deferre ad locum in quo patronus ordinabit, & deſauornare ſe-

cundum vtilitatem patroni, ſi ipſi patrono placuerit, & à ſupradicto termino in antea ſint liberi marinarij, & poſsint conuolare, quo voluerint, ſine alicuius ſtatuti offenſa. Et ſi antea aliqui marinarij recederent, ſine licentia patroni, ſoluant pro quolibet ſol. duos groſſorum patrono nauis.

Qualiter patronus marinario fortuito caſu, &c. Cap. LXXVIII.

Defendendo nauim, ſeu faciendo neceſſariam utilitatem nauis, ſeu alterius ligni aliquo caſu fortuito marinarius, ſiue ad muduam, ſiue ad nauigium eſt defunctus, Volumus, quòd hæres ipſius marinarij defuncti habere debeant marinariciam de mudua, & naulum integrum.

Quod marinarius quilibet officium pro naui, &c. Cap. LXXIX.

Putãtes, quod in quacunq; naui, banzono, buzonaui, tarreta, ſeu quocunque alio ligno officium timonariæ, uel cabariæ debet per peritum hominẽ exerceri, & per illum qui ſit peritus ad officium ſibi impoſitum exercendũ. Volumus, & auctoritate huius ſtatuti præcipimus, & mandamus, quod quicunq; fuerit electus ad prædicta officia legitime, uel ad aliquod aliud officium neceſſarium in naui, uel alijs lignis antedictis teneatur illud officium recipere, ac etiam fideliter adimplere, quod ſi non fecerit ſoluat quinq; libras denariorum Venetorum paruorum pro pœna, quæ pœna, toti societati nauis, ſeu oĩbus perſonis exiſtentibus in naui debeat applicari, niſi forte fuerit iuxta infirmitate oppreſſus, cuius infirmitatis oppreſsio remaneat in patronum & nauteriũ nauis, ſeu cuiuslibet alterius ligni, in quo fuerit.

Quod patrono barche naulizate in uindimijs, &c. Cap. LXXX.

Si contigerit barchas naulizatas, ſeu conductas in uindimijs, ſeu cauſa vindimiarum propter fortunam, ſeu temporis tempeſtatem extra Iadram applicari, & non poſſe propter cauſam antedictam, modo aliquo nauigare. Volumus, quòd Dominus ipſarum barcharum pro illis diebus nullum habeat pagamentũ, quibus fuerit impeditus propter malum tempus. Veruntamen marinarij habere debeant ſolummodo ad comedendũ & decenter.

De modo & forma ſolutionis fiendo marinarijs. Cap. LXXXI.

Si barchæ tempore uindimiarum poſt occaſum ſolis Iadram applicuerint ponderatæ vuis. Volumus, quòd marinarij non poſsint eas derelinquere, immò permaneant ad diſcaricandum illas, & pro ſuo labore, quilibet marinarius habere debeat duodecim denarios paruos, ſi barcha fuerit de modijs ſexaginta uſque ad octuaginta. Et ſi barcha fuerit ab octuaginta

ſuperius habere debeat marinarius integram ſolutionem pro rata modiorum. Verum ſi barcha fuerit de modijs triginta uſq; ad quadraginta habere debeat quilibet marinarius denarios octo paruos. Et ſi fuerit de modijs triginta, uel abinde inferius habere debeat, quilibet marinarius denarios ſex præter cœnam, quam cœnam volumus, & mandamus, quòd cuilibet marinario dari debeat à Domino vini decēter & congrue in quolibet caſuum ſupradictorum. Verum ſi aliqui ex marinariis ſe ſubtraherent, ita quòd nō diſcaricarent nauem, ut dictum eſt, perdant ille, uel illi marinarij naulum quod habere debebant pro illo itinere, & Domino uini integraliter applicetur, & inſuper ſi propter ipſam fugam quam fecerint ipſi marinarij, uel aliqui ex eis patronus barchæ alia die fuiſſet quomodolibet impeditus, ita quòd non potuiſſet nauigare tota illa die, uel aliqua parte eius teneantur illi, qui fuerint in culpa ad totum naulum barchæ alterius diei & patrono barchæ totaliter applicetur.

Quod barcha vindimijs deſeruire uolens, &c. Cap. LXXXII.

Salubriter duximus prouidendum, quòd omnes barchæ, quæ tempore vindemiarum ellegerint, ſeu voluerint vindimijs deſeruire debeant eſtimari per Iudices maris quot modios vuarum vnaqueq; barcha poſsit deferre, & ſecundum illorum Iudicum extimationē fiat ſolutio patrono barchæ ad rationem duorum denariorum pro quolibet modio, patronus vero barchæ, qui contra prædicta fecerit, ſiue in nō faciendo extimari barcham ſuam, priuſquam portet vuas, ſiue in accipiendo maius præcium, perdat naulum barchæ.

De modo, & forma deputationis corbarum vnicuiq; barchæ, ſecnndum pondus ſuum. Cap. LXXXIII.

Quia ſine congrua munitione barchæ uindimiis deputare nequeunt, commode deſeruire, ideo neceſſario prouidimus ordinandum, quòd omnes barchæ ferrentes uiginti modios, uel abinde inferius teneantur habere ad minus tres corbas. Si autem portarent quadraginta modios, uel abinde inferius, uſq; ad xx. teneantur habere quatuor corbas. Si uero portarent xl. modios, uel abinde ſuperius uſq; ad quantoſcunq; modios, teneantur habere ſex corbas, & pro quolibet die quo ipſe corbæ deſeruierint Domino uini, ſeu uindimiis ipſius Domini teneatur ipſe Dominus dare nauterio barchæ duos denarios paruos, pro qualibet corba nomine nauli ipſarū corbarum. Verum ſi aliquis patronus barchæ tantæ præſumptionis reperiatur, quòd corbas habere non curauerit ſupradictas ſoluere teneatur, pro pœna comuni Iadræ decem ſolidos denariorum Venetorum paruorū, pro quolibet uiatico, ſeu itinere quo nauigauerit pro uindimiis, ſine corbis neceſ-

bis neceſſarijs ad barcham ſuam, vt ſuperius eſt ſtatutum, & quilibet poſsit & debeat accuſare patronum barchæ, & ille qui accuſauerit habere debeat medietatem banni prædicti. Ad hæc volumus & mandamus quòd Iudices maris debeant & teneantur per terrã Iadræ omni anno facere publice proclamari per quindecim dies ante vindemias ea quæ in hoc ſtatuto ſuperius continentur, ſub pœna xij. groſſorum de ſuo ſalario.

Quartus hic in numero tria continet octuaginta
Scriptæ Liber.

INCIPIT LIBER QVINTVS.

DE REPRIMENDA, SEV CASTIGANDA CONSPIRAtione facta contra Dominum Comitem Iadrenſem, vel eius Curiam, ſeu contra honorem eorum. Titulus iſte continet vnum capitulum.

IN iſto capitulo ſolo notatur quam pœnam pati debeant contra honorem Domini Comitis conſpirantes.

Qualiter conſulatur illi qui conqueritur ſe expulſum fuiſſe non de iure de ſua poſſeſsione, & ſunt tria capitula.

In primo capitulo continetur, quòd expoliatus expoliatori eandem, vel equiualentem occupatam denunciet relaxare poſſeſsionem, & ſi facere neglexerit talis occupator expulſo reſtituere compellatur.

In ſecundo capitulo continetur, quòd ſi expoliatus poſſeſsione ceſſauerit per annum & diem coram Domino Comite deponere quæſtionem & querimoniam ſuper uiolentia nullatenus audiatur poſtea niſi in caſu ſibi dato per ſtatutum ſaluo iure pupillis, furioſis, & abſentibus.

In tertio capitulo continetur: quòd ſi paſtinator vinea in alienã terram paſtinans infra quinq; annos fuerit per ſententiam conuictus ipſam Domino reſtituere compellatur, ſi vero vſq; ad triginta annos extimationem terræ tempore uineæ plantatæ ſoluere compellatur.

Qualiter puniatur ille qui prohibuit aliquam teſtari, Titulus iſte continet vnum capitulum.

In iſto capitulo notatur de pœna inferrenda illi qui notarium domum ingredi prohibuit teſtari uolentis.

De prohibendo fenore, ſeu damnato exercitio uſurarum, Titulus iſte continet tria capitula.

In primo capitulo docetur, quòd Comes Pagenſis ſingulis tribus menſibus quòd nullus in Pago dare pecunias ad uſuras publice faciat proclamari.
In ſecundo capitulo docetur, quòd quicunq; ciuis Iadrenſis repertus fuerit dare in Pago ad uſuras quo quomodo ſubiaceat pœnis contra Iadratinos ciues ordinatis.
In tertio capitulo docetur, quòd nullus audeat vendere equum, vinum, oleum, caſeum, cum adiuncta pecunia.

De iniurijs & damno dato ab aliqua perſona aut i'lato ab aliquo animali. Titulus iſte continet ſex capitula.

In primo capitulo notatur, quod nulli liceat de nouo molendinũ conſtituere in præiudicium ueteris molendini.
In ſecundo capitulo notatur de ramis & frondibus ſuper locum alterius pendentibus incidendis.
In tertio capitulo notatur qualiter ciuis Iadratinus iniuriatus à forenſe extra Iadram in Iadra eiuſque diſtrictu ipſam iniuriã valeat uindicare.
In quarto capitulo notatur de reſtitutione ouium, arietum, agnorum, caprarum, bouum, vacarum, vitulorum, perceptorum contra uoluntatem paſtoris facienda.
In quinto capitulo notatur, quòd nulli ſeruiciali alterius panem comedenti uis reddatur, ſi à domino fuerit verberatus, niſi membrum debilitauerit ſeruitori.
In ſexto capitulo notatur, quòd Dominus beſtiæ exeuntis ciuitatem ad paſcendũ ac redeuntis, ſi ipſa in alterius beſtiam vulnus intulerit mortiferum nullã pœnã patiatur, niſi domino beſtiæ viuẽtis fuerit contradictũ.

De mulctis, ſeu pœnis imponendis pro intereſſe petentis & grauati per audacem quorundam temeritatem. Titulus iſte continet xiiij. capitula.

In primo capitulo habetur quæ pœna, & quomodo inferenda ſit falſum inſtrumentum in iudicio producenti.
In ſecundo capitulo notatur de pœna ſuſtinenda per illum qui inſtrumentum in iudicio productum falſum dixerit & non probauit.
In tertio capitulo notatur quibus pœnis ſit caſtigandus qui fregerit tenutam datam per ſententiam vel diſtrictam.
In quarto capitulo notatur qualiter puniatur officialis ſi conuictus fuerit contra proprium ſacramentum partem aliquam agrauaſſet.

In quinto capitulo notatur quibus pœnis ſubiaceat officialis donum recipiens à quocunque.

In ſexto capitulo notatur qua pœna crucietur qui aliquem de alieno laborerio acceperit & in ſuum, vel alienum poſuerit faciendo.

In ſeptimo capitulo notatur quibus pœnis puniatur teſtis citatus, ſi in perhibendo teſtimonio ſe ſubtraxerit fraudolenter.

In octauo capitulo notatur quam pœnam incidant Iudices contra ſtatutum, ſi eiſdem fuerit allegatum ſententiam præferentes.

In nono capitulo notatur qualiter puniatur qui terminos fixos per partes approbatos clam euelerit, vel doloſè.

In x. capitulo notatur quam pœnam ſorciatur ille qui domum, vineam, vel agrum poſt interdictum à Curia ſibi factum duxerit laborandum.

In xj. capitulo notatur qualiter puniatur qui terram dederit ad paſtinandum ad minorem partem quàm ſit quarta pars, & ſuſcipiens caſtigetur.

In xij. capitulo notatur, quòd quelibet & uidua vſa thoro viri defuncti, cū uictu & ueſtitu reperta fuerit fornicari per propinquiores defuncti expelli poſsit exterminato furore.

In xiij. capitulo notatur quam pœnam pati debeant muratores, ſi muros intus & extra ceſſauerit ſuffianare.

In xiiij. capitulo notatur qualiter puniatur, qui uendiderit aliqua mercimonia ad credentiā & eandem re emerit pro uiliori præcio infra annū.

Qualiter puniatur ille qui vinum extra comitatum Iadræ natum deduxit in ciuitatem poſt feſtum ſancti Martini, & ille qui reduxit in ciuitatem extra comitatū delatū cauſe uendendi, Titulus iſte habet duo capitula.

In primo capitulo oſtenditur qualiter puniatur qui uinum natum extra comitatum Iadræ, quoquomodo deferendum ad ciuitatem poſt feſtum ſancti Martini Iadram de fori fecerit, uel in eius diſtrictum.

In ſecundo capitulo oſtenditur quam pœnā pati debeat, qui uinum extra Iadrā portauerit cauſa vendendi, & poſtea tranſduci fecerit illud idem.

De ſeruitutibus quas vicinus debet præſtare vicino ratione operis faciendi de nouo .l. opus reficiendi antiquum.

In primo capitulo notatur de forma & modo conſtruendi aliquod opus iuſta uicini ſui ſtilicidium pluuiale.

In ſecundo capitulo notatur quo ordine aliquis cum muro ſuo culmini lapideo uicini ſui ualeat adherere.

In tertio capitulo notatur quo iure & forma murus fieri poſsit, vbi paries prius erat ſitus inter domos lapideas conuicinas.

De muneribus & honoribus omnium perſonarum & qualiter forenſes recipiantur in ciues. Titulus iſte habet duo capitula.

In primo capitulo continetur, quòd forenſis habitans in Pago, uel poſſeſſiones habens ibidem ad omnia onera ſit aſtrictus.

In ſecundo capitulo continetur, quod nullus forenſis tractetur, vt ciuis Iadrenſis, niſi cum familia, & vxore habitauerit in eadem, & ſi venerit non intelligitur ciuis, quo ad honores & utilitates, niſi per conſilium maius admittatur in ciuem.

De interdictis, ſeu aliquibus bannitis ad certa tempora ob reuerentiam ſancti Griſogoni reſtituendis.

In iſto capitulo docetur de modo & forma gratiæ conceſſæ quibuſdam ex bannitis veniendi Iadram ad feſtum ſancti Griſogoni.

De quarta parte decime in fabricam Eccleſiæ ſanctæ Anaſtaſiæ diſtribuenda.

In iſto capitulo docetur, quòd ob quartam partem diuinæ diſtribuendam inſtrumenta infraſcripta pro ſtatutis debeant inuiolabiliter obſeruari.

LIBER QVINTVS.

DE REPRIMENDA, SEV CASTIGANDA CONSPIRAtione facta contra Dominum Comitem Iadrenſem, vel eius Curiam, ſeu contra honorem eorum. Titulus iſte continet unum capitulum, quàm pœnam pati debeant, &c. Cap. I.

AFFECTANTES iniquorum inſidijs obuiare propoſſe firmiter ordinamus, quòd aliquis non audeat tractare, ordinare, ſeu facere coniurationem, ſeu conſpirationem, aut ſocietatem aliquam contra Dominum Comitem, ſeu eius honorem, uel eius Curiam, & Iudices, uel aliquos alios modo aliquo, uel ingenio, quòd ſi aliquis, uel aliqui contra hoc fecerint, ſiue per fidãtiam, ſiue per ſola verba, ſiue per ſacramentum pro banno Comuni Iadræ libras quingentas denariorum Venetorum paruorum, pro qualibet uice. Et ſi ſoluere non poſſent capiantur in perſonam, & in perpetuum in carcerem detrudantur deplo-

raturi ibidem crimina quæ facere præſumpſerant. Verum ſi fugam eripuerint de ciuitate Iadræ perpetuo bannuantur ſine ſpe aliqua in poſterum reuertendi.

Qualiter conſulatur illi, qui conqueritur ſe expulſum fuiſſe non iure de ſua poſſesſione. Titulus iſte continet tria capitula, quod expoliatori occupatam denunciet &c. Cap. II.

Cum quiſpiam ſuo nomine publice poſſederit domum, uineam, terram, vel aliquam aliã rem ſtabilem, ſeu immobilẽ, & aliter poſtea non de iure, ſed ſua propria auctoritate ſeu præſumptuoſa temeritate ipſum expulerit de poſſesſione prædictarum rerum immobilium vel aliqua earum. Volumus quòd primus poſſeſſor qui poſtea expulſus eſt, ante omnia preſentibus teſtibus duobus ſaltem, relinquere teneatur, & debeat expoliatorem ſeu illũ qui uim dicitur intuliſſe ut reſtituat eidem domum, vineam, terram, uel rẽ immobilem occupatam per ipſum liberam, & quietam, & ab omni uiolentia expeditam. et ſi infra octo dies poſtquàm fuerit requiſitus non reſtituerit ipſum expoliatum in poſſesſionis ſuæ ſtatu priſtino, & antiquo, perdat ius ſi quod habebat in rebus ſeu poſſesſionibus antedictis, ſeu aliqua earũdem, & applicetur expoliato. Si autem ipſe expoliator non habebat aliquod ius in ipſa terra per uiolentiam occupata per ipſum illam poſſesſionem reſtituat ſeu reſtituere per iuſtitiam compellatur expulſo, & nihilominus aliam poſſesſionem equiualentem asſignare teneatur eidem vel tantum in pecunia numerata quantum fuerit per Curiam extimata poſſesſio quæ dicitur fuiſſe per violentiam occupata.

Quod ſi expoliatus poſſesſione ceſſauerit per annum, & diem coram Domino Comite deponere querimoniam &c. Cap. III.

Si ille qui expoliatus eſt de expoliatione ſeu violentia ſibi facta nullam fecerit quæſtionem cauſam, ſeu querelam infra annum, & diem poſtquàm fuit expulſus coram Domino Comite, & eius Curia, poſtea ſuper violentia quàm recepit nullatenus audiatur cum per tanti temporis lapſum videatur illatam iniuriam tacite remiſiſſe ſaluo ſemper in prædicto caſu eidem iure perditæ poſſesſionis Dominium poſtulandi, & coram Curia proſequendi ſecundũ ius, & formã ſeu tenorem ſtatutorum comunis Iadræ ſeu probandi ipſam poſſesſionẽ ſuã eſſe, & ad ſe pertinere de iure, ita tamẽ quòd prædicti tẽporis decurſus uidelicet anni, & diei nocere nõ debeat nec posſit pupillo non habenti Comiſſarium vel alium legitimum defenſorem. nec mentecapto non habẽti filios legitimæ ætatis vel aliquem curatorem, nec furioſo non habenti filios legitimæ ætatis uel aliquem curatorẽ nec & abſenti toto tempore pupillaris ætatis, ſeu toto tempore ſtultitiæ uel furoris, aut toto tempore quo fuit abſens. ſed pupillo veniente ad legitimam ætatem mente-

capto,& furioſo ad ſanitatem abſente reuertente in ciuitatem incipiat cur rere annus,& dies,& non ante.

Quod ſi paſtinator uineam in alienam terram paſtinans infra quinq; annos fuerit per ſentẽtia cõuictus ipſam Domino reſtituere cõpellatur. Cap.4.

Si aliquis plãtauerit uineã in aliquã terrã ſeu poſſesſionẽ Iadrenſis diſtri ctus quam aliter ſeu alius ad ſe aſſerat pertinere,& dicat ſuã eſſe ſiquidẽ ue niat infra quinq; annos poſtquàm fuerit uineo plãtata, & plãtator ſeu paſti nator ſuper hoc quòd in terram aliená uineam plantauerit conuictus fuerit per ſententiam.Ille qui plantauit uineam in continẽti ipſam terram cum ui nea plantata ibidem Domino ipſius terræ reſtituere teneatur, ſi autẽ Domi nus ipſius poſſesſionis ſeu terræ paſtinatæ ueniat poſt lapſum quinque anno rum uſque ad triginta annos,quandocumque,& modo prædicto conuictus fuerit paſtinator,cogatur ruſticus, ſeu qui uis alius paſt inator dare in pecu nia numerata domino ipſius terræ extimationem quam ualebat ipſa terra, tempore quo paſtinauit eandem ultra prædictum , aut tempus triginta an norum Dominus ipſe nullatenus perpetuo audiatur.

Qualiter puniatur ille qui prohibuit aliquem teſtari,titulus iſte continet unum capitulum. Cap. V.

Ne de aliorum fletu aliqui glorientur cum illa dicatur eſſe rectisſima ſen tentia quæ contra iuſtitiam nulli parcit ſed inſtat ut detur unicuique quod eſt ſuum. ordinamus quòd notarius qui uocatus fuerit ad ſcribẽdum teſta mentum infirmi maſculini uel feminini ſexus in continenti ire teneatur ad infirmum ſub uirtute præſtiti ſacramenti , & ſi aliquis prohibuerit notario ne ingrediatur liberaliter ad infirmum,ipſe notarius teneatur incontinenti ſignificari Domino Comiti qualiter uocatus ab infirmo fuit prohibitus ne accederet ad ipſum,& tunc Dominus Comes,& eius Curia ſine aliqua dila tione dabit aliquam perſonam notario cum qua ipſe notarius posſit ire tu tè & liberaliter ad infirmũ , & ille qui prohibuit prima uice ſeu primo loco ſoluat comuni Iadræ pro pœna ſolidos decem denariorũ Venet. groſſorũ, ſi uero ipſum tabellionem , & perſonam ſibi adiunctam prohibuerit ſecũdo loco ſoluat ipſe pro pœna ſoldos uiginti denariorum Venet. groſſorum, ue rum ſi interim poſtquàm tabellio fuit prohibitus ante aduentum ipſius uel alterius tabellionis infirmus ſeu infirma decederet inteſtatus ſeu nullo con dito teſtamento,ille qui ipſum notarium non admiſit ſeu ipſi notario prohi buit ne accederet ad infirmum ſeu infirmam nihil omnino in perpetuum ex quacumque cauſa de hæreditate ſeu bonis infirmæ perſonæ ab inteſtato defunctæ posſit percipere uel habere,in quocumque gradu attineat decedẽ ti,ſed ſit in totum, & modis omnibus excluſus ab hereditate taliter decedẽ

tis,ſi hereditas ipſius debuerat ad ipſum peruenire ex quacumque linea propinquitatis de iure.

De prohibendo fenore ſeu damnato exercitio uſurarum,titulus iſte continet tria capitula. Cap. VI.

Vſurarum uoraginem,quæ animas deuorat,& facultates abſorbit,ſeu exaurit compeſcere cupientes. Præcipimus inuiolabiliter obſeruari quòd quilibet Comes Pagenſis,qui pro tempore fuerit, faciat publice proclamari de mandato,& auctoritate Domini Comitis Iadrenſis quòd nullus Pagẽſis uel quicumque alius audeat exercere fœnus, ſeu mutuare pecuniam ad uſuras in Pago,& ille qui dederit ammittat quod mutuauit,& ſoluat libras decem denariorum Venet. paruorum pro banno communi Iadræ quod bannum uolumus publice proclamari ibidẽ in ſingulis tribus mẽſibus cuiuſcũq; anni,teneatur inſuper comes Pagẽſis diligenter ſuper prædictis ex officio ſibi debito inquirere ueritatem in uirtute præſtiti ſacramenti,& ſi inuenerit aliquem mutuare pecuniã ad uſuras ſeu fœnus quomodolibet exercere incõtinenti teneatur notificare Domino Comiti Iadrenſi,& iudicibus curiæ conſtitutis ſuper uſuris.

Quod quicumq; ciuis Iadren. repertus fuerit dare &c. Cap. VII.

Si aliquis cuiuſcumque ſexus ciuis Iadrenſis mutuauerit Pago pecuniã ad uſuras,uel quicumque alium contractum fecerit in fraudem uſurarum, uel ut inde capiat dulcedinem uſurarum qualicumq; modo uel ingenio ex quacumque re data,mutuata,uel commodata,uel depoſita ſubiaceat in omnibus, & per omnia eiſdem pœnis quæ contra ciues Iadrenſes ſunt ſerioſius ordinate.

Quod nullus audeat uendere equum,uinum, oleum, caſeum cum adiuncta &c. Cap. VIII.

Quia nonnulli in fraudem uſure uendebãt equum, uinum,bladum,oleũ, caſeum,uel quamlibet aliam mercem alicui ad credenciam, & adhuc dabant ſibi ultra prædictas res uel aliquas earum aliquam pecuniæ quantitatem ad hoc quòd uenderet ei equum ipſum, bladum, &c. prædicta cariori precio quam ualeret uolentibus talibus fraudibus obuiare preſenti decreto ſtatuimus: quod nullus præſumat de cætero uẽdere equũ ſuum uinũ,oleum,bladũ,caſeum,uel quaslibet alias merces alicui cum adiuncta pecuniæ quantitate, ſupradicta modo predicto, quod ſi fecerit contractus non teneat, & ſoluat pro banno comuni noſtro Iadræ libras quinquaginta paruorum,cuius medietas ſit accuſatoris.

De iniurijs, & damno dato ab aliqua perſona aut illato ab aliquo animali. quod nulli liceat de nouo &c. Cap. IX.

Cum quis de nouo conſtituere ſeu fabricare uoluerit molēdinū in ſuo loco. hoc facere non posſit, ſi talis fabricatio uerteretur in præiudicium iuris acquiſiti Domino antiqui ſeu veteris molendini. Primitus rationabiliter edificati, quod ſtatutum locum habere uolumus ac ſeruari mandamus in molendinis, quæ facta ſeu edificata antiquitus fuerunt per aliquos temporibus retroactis.

De ramis, & frondibus ſuper locum alterius pendentibus incidendis. Cap. X.

Volumus, & ſtabiliter ordinamus quòd ſi aliqua arbor ſuper locum alterius dependeret per dominum loci in quem ipſam arbor dependeret poſſint incidi rami, & frondes arboris dependentis, quod ſtatutum locum habeat non ſolum in ciuitate, ſed etiam in toto diſtrictu Iadrenſi.

Qualiter ciuis Iadræ iniuriatus a forenſe extra Iadram, in Iadra eiuſque diſtrictu &c. Cap. XI.

Volentes quorumdam forenſium preſumptuoſam audaciam equo libramine refrenare mandamus ac fore ſalubre equanimiter iudicamus. Quod ſi alicui Iadratino iniuria aliqua facta fuerit in perſonam per aliquem forenſem extra ciuitatem Iadræ, ipſe ciuis Iadratinus iniuriatus posſit atque valeat factam ſibi iniuriam uindicare tam in ciuitate Iadræ quàm in eius diſtrictu, ſi caſus eidem occurrerit liberaliter ulciſcēdi petita tam prius habita, & conceſſa licentia ulcionis a Domino Comite, & eius Curia, qui pro tempore fuerit in regimine ciuitatis Iadræ.

De reſtitutione ouium, arietum, agnorum, caprorum, bouum, uacarum, & uitulorum. Cap. XII.

Statuimus quòd ſi aliquis beſtiam alicuius, puta, ouem arietem, agnum, capram, hircum, capredum, propria auctoritate acceperit, ſeu etiam perceperit à paſtore, & Dominus beſtiæ eam uel eius extimationem uoluerit ſibi reddi, ille qui accepit teneatur ipſum reſtituere ſi poteſt uel ſatisfacere Domino integraliter de eſtimatione beſtiæ ſic acceptæ; & ſi infra tertiam diem poſtquàm fuerit à Domino requiſitus non ſatisfecerit, ſoluat ſolidos quadraginta denariorum Venetorum paruorum pro pena communi Iadræ, de quibus dominus beſtiæ habeat medietatem, & nihilominus ueram extimationem beſtiæ ſic acceptæ domino ſoluere compellatur, & ſi de ualore

re beſtiæ ſic acceptæ contentio aliqua oriatur paſtori qui eas cuſtodiebat credatur à uiginti ſolidis inferius, At ſi aliquis acceperit uel occiderit bo-uem,uacam,uel uitellum teneatur omnino ipſas beſtias reſtituere ſi poteſt uel eius extimationem,& inſuper ſol.quadraginta paruorum ſoluere compellatur pro banno communi Iadræ,cuius banni medietas ſit paſtoris.

Quod nulli ſeruiciali alterius panem comedenti ius reddatur. Cap. XIII.

Cum ſuper familiam ſuam Domini debeant dominari de iure ſatis fauorabiliter prouidimus,concedendum,quòd quicunq; verberauerit aliquam perſonam cui panem dederit ad comedendum,ſeu aliquem ſuum familiarem à Iadrenſi Curia nullam pœnam,damnum ſuſtineat, uel iacturam,niſi membrum deſtruxerit,vel debilitauerit, quo caſu ſit in prouiſione Curiæ, qualiter de tali mēbri deſtructione vel debilitate dominus puniatur.

Quòd Dominus beſtiæ exeuntis ciuitatem ad paſcendum,&c. Cap. XIIII.

De beſtijs quæ exeunt in die de ciuitate Iadræ ad paſcendum,& ſero veniente in eandem redeunt ciuitatem, quarum altera eundo,ſtando,uel redeundo in alteram facit inſultum ac ipſam percutit,ita quòd mortiferum vulnus, ſeu mors infertur beſtiæ alicuius. Volumus & mandamus, ut Dominus beſtiæ mortuæ nihil dicere, ſeu petere poſsit à Domino beſtiæ viuæ de vulnere, ſiue mortæ beſtiæ ſic peremptæ. eo ſaluo, quòd ſi Domino viuæ beſtiæ fuerit contradictum per Dominum beſtiæ mortuæ, vel aliam perſonam, vel paſtorem in præſentia aliquorum hominum, quòd illa ſua beſtia non uadat amplius in ſocietate illarum beſtiarum,nam ſi beſtia contingeret quòd talis fecerit aliquod damnum beſtijs, tunc Dominus beſtiæ dantis damnum debeat totum illud damnum integraliter emendare, vel ſaltem teneatur dare beſtiam damnum inferentem pro noxa, ſeu pro damno & iniuria ſic illata.

De mulctis, ſeu pœnis imponendis pro intereſſe petentis, & grauati per audacem quorundam temeritatem. Cap. XV.

Super hijs qui falſum inſtrumentum in iudicio produxerunt, & ipſo vti in placito præſumpſerunt cum publicæ vtilitatis interſit, ne crimina remaneant impunita,& per impunitatis audaciam fiant,qui nequam fuerant nequiores irreuocabiliter duximus ordinandum. Quod quicunq; repertus fuerit in placito alicuius falſam cartulam contra alium produxiſſe eo animo, vt ipſa uti deſideret contra partem. Si ipſius inſtrumenti, ſiue car-

tulæ falſitas fuerit legitime adinuenta tantumdem condemnetur,& dare teneatur illi perſonæ contra quam produxit cartulam antedictam quantum cum ipſa carta falſa uoluit ſeu conatus fuerit tollere ab eodem cum omnibus expenſis,& damnis, quas ſuſtinuit in cauſa prædicta de cauſa. Verum ſi iſte qui carta falſa uſus eſt non habuerit unde ſoluat prædicta primo pro offenſa ad uoluntatem,& arbitrium Domini Comitis, & eius Curiæ eſt perſonaliter puniendus. Secundo eſt pro publico falſario in plathea Comunis Iadræ publice nunciandus. Tertio eſt in libro Comunis Iadræ inter falſariorum Numerum denotandus. Quarto toto tempore uitæ ſuæ in Conſilio comunis Iadræ publico bis in anno quolibet eſt legendus, ſcilicet quando mutantur iudices, & alij officiales Iadræ ita quòd nunquam eligatur ad aliquod de officium falſarius antedictus. Quinto quòd nulla fides eidem in aliquo adhibeatur nec eius teſtimonio ſit credendum.

De Pœna ſuſtinenda per illum qui inſtrumentum in iudicio productum falſum &c. Cap. XVI.

Quoniam malicijs hominum non eſt ullatenus indulgendum ſed ſunt pœna debita caſtigandæ. Ideo ordinare curauimus quòd quicumque in placito ſeu cauſa aliqua allegauerit,dixerit,ſeu propoſuerit coram Curia, cartam aliquam eſſe falſam,ſi hoc probare non potuerit prout dixit allegauit,& propoſuit condemnetur in libris uigintiquinq; denariorum Venetorum paruorum pro banno ſuæ temeritatis ſeu tantæ præſumptionis, quarum medietas ſit Comunis Iadræ,alia uero medietas in illũ perueniat cuius carta dicta fuerit falſa. uerum ſi prædictam condemnationem uiginti quinque librarum ille qui falſitatem propoſuit ſoluere non poſſet exequatur in corpore quòd deficit in auere ad uoluntatem & pro ut uiſum fuerit Domino Comiti,& eius Curiæ coram quo allegata falſitas non potuit legitime comprobari.

Quibus pœnis ſit caſtigandus qui fregerit tenutam datam per ſententiam uel diſtrictam. Cap. XVII.

Quia præſumptuoſa delinquẽtium temeritas eſt legitimis iſtibus ferienda. Ideo laudabiliter prouidimus ordinandum, quòd ſi quis cuiuſcumque condictionis,uel ſexus exiſtens fregerit tenutam datam per ſententiam uel diſtrictam a Domino Comite uel eius Curia ſeu turbauerit uel petitorem moleſtauerit in eadem, quo minus ille cui data fuerit diſtricta ualeat ipſam diſtrictam poſſidere libere, & quiete ſoluat pro banno libras tres denariorum Venetorum paruorum, ſi tenuta data fuerit pro debito librarum decem, uel abinde infra, deſcendendo. Si uero data tenuta fuerit pro debito triginta librarum uel abinde infra, deſcendendo uſque ad

libras decem ſoluat libras ſex denariorum Venet. paruorum. Si uero tenuta data fuerit pro maiori debita triginta librarum aſcendendo abinde ſuperius uſque ad quantitatem centum librarum paruorum ſoluat libras duodecim denariorum paruorum pro banno. Verum ſi tenuta data fuerit pro maiori debito centum librarum aſcendendo ſuperius uſque ad quantamcũque ſummam ſoluat libras uigintiquinque paruorum pro banno,& medietas cuiuslibet prædictæ condemnationis perueniat in canipam Comunis Iadræ,alia medietas aſſignetur illi cui tenuta data fuerit,& turbata,& nihilominus ipſe petitor, qui poſitus fuerat in tenutam per Curiam pleniſsime in quolibet de caſibus ſupradictis defendatur,& manu teneatur in poſſeſsione pacifica,& quieta rei in tenutam ſeu diſtrictam datæ,& fructuum perceptorum. Ita quòd ipſe petitor frugibus, & redditibus ipſius poſſeſsionis a tempore datæ tenutæ percepti,ſeu qui percipi potuerunt utatur,& fruatur ac ipſos re uera habeat,& percipiat,& recuperet ſicut habuiſſet ſi tenuta non fuiſſet turbata omni uiolentia, & contraditore radicitus extirpatis in quolibet caſuum prædictorum. Et ſi conſumpti fuiſſent ipſi fructus ſufficiat ſi ipſe turbator ſeu moleſtator ſoluat ueram ipſorum fructuum extimationem.

Qualiter puniatur officialis ſi conuictus fuerit contra proprium ſacramentum partem &c. Cap. XVIII.

Si aliquis officialium Cõmunis Iadræ repertus fuerit cõtra capitulare, & propriũ ſacramentum aliquid feciſſe, extorxiſſe uel partem aliquam aggrauaſſe, & de hoc grauamine ſeu ſuper hoc conuictus fuerit per ſententiam Domini Comitis, & eius Curiæ ſupradicti taliter puniatur uidelicet quòd compellatur ille conuictus officialis ſatisfacere damnato ſeu grauato per eum de omnibus damno grauamine,& expenſis,quòd,& quæ ſubſtinuit grauatus ex cauſa prædicta.

Quibus Pœnis ſubiaceat official. donum recipiens à quocumque. Cap. XIX.

Omnibus utilitatibus efficaciter prouidendo ac iniquas,& ſubdolas quorumdam officialium extorſiones terribiliter compeſcendo duximus ſtatuẽdum quòd omnes, & ſinguli officiales communis Iadræ non audeant a quacumque perſona aliquid accipere nomine doni,aut ex quacumque alia cauſa,uel alio quæſito colore, niſi tantum illud quod habere eis promiſſum eſt ex forma capitulariorum loquentium ſuper officio quod habent, & quicũque contra hoc facere atemptauit ſoluat duplum eius quod accepit, & inſuper ſoldos centum denariorum Venetorum paruorum nomine penæ noſtro Comuni Iadren. cuius medietas ſit accuſatoris.

Qua pœna cruciatur, qui aliquid de alieno laborerio acceperit, & in ſuum &c. Cap. XX.

Aliqua perſona tantæ præſumptionis reperitur, quòd de laborerio alieno accepit laboratorem, & poſuit in ſuum locum pro ſuo uel alieno laborerio faciendo. Volumus, quòd ſoluat pro banno unũ yperperum, cuius me dietas ſit Domini loci in quo laborabat, alia medietas deueniat in Comune Iadræ.

Quibus pœnis puniatur teſtis citatus, ſi in perhibendo teſtimonio ſe ſubtraxerit, &c. Cap. XXI.

Cum aliquis teſtium citatorum, ut perhibeant teſtimonium ueritati in aliqua cauſa in termino ſibi aſsignato non comparuerit, ſed ſe ſubtraxerit fraudulenter, & nulla eum iuſta cauſa compellentem ſoluat ſoldos uiginti denariorum Venetorum paruorum Comuni Iadræ nomine banni, ſi non uenerit in prima citatione. Si autem non comparuerit in ſecunda ſoluat ſol. quadradraginta paruorum, ſed ſi in tertia citatione ſe ſubtraxerit, & contumaciter neglexerit cõparere ne teſtimonium perhibeat poſtulatum, ſoluat ſol. centum paruorum.

Quam pœnam incidant Iudices contra ſtatutum, &c. Cap. XXII.

Quia quanto quiſq; præeſt maioribus, tanto maior, & honeſtior eſſe debet, & delicta illorũ qui præſunt ſint atrocius punienda, Ideoq; ſtatuimus, quòd ſi aliquis aduocatus, uel pars aliqua allegauerit aliquod ſtatutum quod faciat pro parte ſua, uel pacta, quæ habet Comune Iadræ, cum Comune Ven. & Iudices protulerint ſententiam contra formam illius ſtatuti, vel formam prædictorum pactorum, reſtituere teneantur in pœnam ipſi læſo per eorum ſententiam omne damnum illatum, & nihilominus ſoluant Comuni Iadræ tantundem pro banno de quo banno Comune teneatur dare ipſi læſo medietatem in pecunia numerata, & inſuper talis ſententia nullam habeat firmitatem, ſed nulla ſit ipſo iure.

Qualiter puniatur qui terminos fixos per partes approb. &c. Cap. XXIII.

Statuimus, & irreuocabiliter ordinamus, quòd quicunque metam antiquam, ſeu confines antiquos poſitam, & infixos, uel hactenus tacito approbatos per partes celatè, ſeu clam, & doloſè deſtruxerit, euellerit, ſeu de proprio loco extraxerit, vel in alium locum poſuerit, ſi hoc poterit comprobari legitime, ſoluat Comuni Iadræ libras quinquaginta denariorum Venetorum paruorum pro pœna de qua pœna habeant medietatem cõuicinus, uel conuicini, qui ex hoc reputant ſe grauari. Et ſi ille talis non poſſet ſolue-

re pœnam perdat manum, uerum ſi ipſi conuicini fuerint concordes de ipſis confinibus, ſeu terminis ponendis in loco antiquo eo caſu quando fuerunt non doloſè extracti ad pœnā ſupradictā aliqui nullatenus teneantur.

Quam pœnam ſorciatur qui domum, vineam, vel agrum poſt interdictum, &c. Cap. XXIIII.

Maioris firmitatis abſtinentiam in rebus & poſſeſsionibus litigioſis conſeruare volentes, decernimus & ſancimus, quòd quandocunq; aliqua perſona laborauerit, uel laborari faciet domum, vineam, uel agrum, uel qualecunque opus fuerit poſt interdictum ſibi factum de non laborando per Dominum Comitem & Curiam, ſoluat pro pœna & nomine banni ſolidos decem denariorum Venetorum groſſorum, quorum medietas ſit Comunis, alia uero medietas ſit illius qui petebat ipſam poſſeſsionem.

Qualiter puniatur qui terram dederit ad paſtinandum ad minorem partem, &c. Cap. XXV.

Quicunq; dederit alicui aliquas poſſeſsiones, ſeu terras ad paſtinandum tali pacto vſu recipiat minorem partem in anno quolibet, quàm ſit quarta fructuum percipiendorum ſoluat tam ille qui aliter conceſſerit, quàm ille qui aliter recepit Comuni Iadræ pro banno decem libras paruorum pro quolibet gognay; & quicunq; Curiæ Iadrēſi indicauerit, tam perſonas concedentes, quàm recipientes contra prædictam formam habere debeat à Comuni tertiam partem totius banni prædicti. Super quibus omnibus aduocati, & iuſticiarij Comunis Iadræ teneantur ex debito ſui officij ſupradicta omnia inquirere diligenter, & poſsint, & debeant ponere ad ſacramentum quoſcunq; putauerint ſcire prædicta ad indaginem ueritatis, & correctionem omnium prædictorum.

Quod quælibet vidua uſa thoro uiri defuncti, cum uictu & ueſtitu, &c. Cap. XXVI.

Si aliqua uidua quæ elegerit uiduare habuerit hæc beneficia, videlicet domum, lectum, uictum, & ueſtitum, inuenta fuerit cum alio fornicari, & thorum uiolare, ſeu adulterare, uiri defuncti, ita quòd hoc ſit legitime cōprobatum, uel notorium & publicum habeatur. Volumus poſtquàm per ſententiam Domini Comitis, qui pro tempore erit, & Curiæ fuerit declaratum ipſam viduam talia comiſiſſe, quòd propinquiores, ſeu hæredes ipſius quondam viri defuncti, poſsint ipſam viduā expellere ſua auctoritate cum exterminato furore de omnibus bonis, ſeu beneficijs bonorum viri, quæ primitus poſsidebat inuiolate caſtitatis premium, ſeu pœnam, nec talis

De ſeruitutibus quas vicinus debet præſtare uicino ratione operis faciendi de nouo, uel opus reficiendi antiquum.
Cap. XXXI.

Quicunq; voluerit facere aliquod opus iuſta ſtilicidium pluuiale vicini ſui, laborare teneatur & debeat longe à ſtilicidio ipſius uicini ſaltem per medium pedem, quod ſi fecerit perficere valeat opus inceptum pro libito uoluntatis. Verum ſi uoluerit culmen domus ſuæ iuſta ſtilicidium alterius laborare, teneatur & debeat culmen de nouo faciendũ elongare, ſeu facere elongari ab aqua ſtilicidij vicini ſui duobus digitis ad minus.

Quam pœnam pati debeat quo ordine cum muro ſuo aliquis cul.&c. Cap. XXXII.

Ordinamus ſi aliquis voluerit adhærere cum muro ſuo culmini lapideo vicini ſui quòd ſuper hoc liberam habeat poteſtatem ſi primitus ipſe ſoluat medietatem omnium expenſarum factarum in culmine, & medietatem veræ extimationis terræ ſuper qua ipſum culmen fuerit laboratum, ſi uero culmini lapideo vicini ſui cum lignamine uoluerit adhærere hoc etiam ſibi liceat ſoluendo medietatem extimationis terræ, & omnium expenſarum culminis illius tantum partis muri vſq; ad quam cum lignamine voluerit adhærere, proinde, ſi culmini lapideo vicini ſui noluerit adhærere, ſiue de lignamine, ſiue de lapide laborare intendat, teneatur, & debeat ſe elongare duobus digitis cum laborerio ſuo à ſui culmini lapideo conuicini.

Quo iure & forma murus fieri poſsit vbi paries prius erat ſitus inter,&c. Cap. XXXIII.

Si aliqui habuerunt domos lapideas conuicinas inter quas erit paries, & de lignamine, ſi earum aliqua perſona voluerit murum facere in loco, vbi paries prius erat. Volumus, quòd liceat ei hoc facere in terram Comuni in qua erat prius paries ſituata, & tunc alia pars teneatur infra annum reficere parti edificanti oĩum expenſarum factarum occaſione muri prædicti.

De muneribus & hònoribus omnium perſonarum, & qualiter forenſes recipiantur in ciues, ſunt duo capitula.
Cap. XXXIIII.

Cum aliquis forenſis iuerit ad habitandum in Pagum, vel haberet poſſeſsiones ibidem. Volumus, quòd exinde omnimodo ſit aſtrictus ad omnia ſeruicia & tributa, ſeu onere in quibus alij Pagenſes tenentur nulla exceptione obſtante.

Quod nullus forenſis tractetur ut ciuis Iadrenſis, niſi cum familia & vxore habitaret,&c. Cap. XXXV.

Volentes ciuitatem noſtram Iadrenſem liberis & notis hominibus reple ri,& non adulterinis,ſeu aduenis hominibus augmentari,ſtatuimus,ac firmiter obſeruari mandamus,quòd nullus forenſis,ſeu non oriundus de ciuitate Iadræ tractetur,tanquàm ciuis Iadrenſis,niſi veniat ad habitandum in ea cum familia & vxore. Et eſto,quòd aliquis forenſis peruenerit Iadram, & ibidem habitet modo prædicto non intelligatur eſſe ciuis quo ad vtilitates & honores quibus gaudent ceteri ciues Iadrenſes,niſi de uoluntate Domini Comitis ponatur ad conſilium,& per maiorem partẽ conſilij Iadrenſis recipiatur in ciuem,quamuis pro ciue haberi debeat,ac etiam reputari quo ad onera,& collectas quas alij ciues Iadrenſes comuniter ſuſtinent ſubportanda ad quæ onera & collectas Veneti nullatenus teneantur, niſi tantũmodo pro cuſtodia ciuitatis Iadræ.

De interdictis, ſeu aliquibus bannitis ad certa tempora ob reuerentiam ſancti Griſogoni reſtituendis in ciuitate. Cap.XXXVI.

Ad honorem Dei omnipotentis,& beatæ Mariæ Virginis glorioſe,ac ſancti Griſogoni patroni noſtræ Ciuitatis Iadrenſis. Statuimus,& irreuocabiliter ordinamus,quòd omnes banniti Iadræ,ſiue de ciuitate Iadræ,præterquàm pro homicidio, pro furto,& pro proditione poſsint venire Iadram ante feſtum ſancti Griſogoni per tres dies, & in die ipſius feſti, & in ipſis prædictis diebus,& in die feſti ibidem ſtare ſecuri, & poſt ipſum feſtũ per alios tres dies proxime ſubſequentes poſsint venire Iadram, & ſtare,ac redire ſalui & ſecuri,ſine leſione aliqua in rebus & perſonis,ita tamen, quòd ultra tertiam diem,immediate poſt feſtum,ſi reperiantur in Iadra,vel eius diſtrictum ſint diſidati in rebus, & perſona prout prius erant ante feſtum ſancti Griſogoni,nulla eorum defenſione audita.

De quarta parte decimæ in fabricam Eccleſiæ ſanctæ Anaſtaſiæ diſtribuenda. Cap. XXXVII.

Deteſtãda quorundam iniquorum peruerſitas abſtinere neſciens à prohibitis, nec debito modo gaudere conceſsis digne plerunq; potentiã inuocat Laicorum ad nequitiam fraudis, tam audacis multiſariæ reprimendã, ſane licet olim fuerit canonica conſtitutione decretum, qualiter decima debeat diuidi,diſtribui,ſeu partiri,conſuetudo tamen retroactis temporibus diucius obſeruata circa decimæ diuiſionem eſt hodie ſalubrius,& utilius intuenda, de permiſsione ipſorum canonum ſpeciali, & non attendentes quidam eccleſiaſtici viri, quòd omnes fructus decimales de vniuerſali

decima

decima colecti in ciuitate Iadræ, & eius diſtrictu deberent diuidi in quatuor partes quorũ fructuum quarta pars dari debeat clero,ſecunda quarta pars attribuebatur Archiepiſcopo Iadræ,tertia quarta pars relinquebatur diſtribuenda inter pauperes, ultima uero quarta in fabricã Eccleſiæ ſanctæ Anaſtaſiæ diſtribuebatur ex conſuetudine actenus obſeruata ibidem. Decimã ipſam ad ſui comodũ contra cõſuetudinẽ ipſam,&ius ſcriptum in duas tãtũmodo partes diuidere præſumpſerunt,unam quarum, puta, medietatẽ in ſuos uſus Iadrenſis Archiepiſcopus conuertebat, Alteram uero partem puta aliam medietatem uniuerſus clerus Iadrenſis in ſe ipſum clerum uniuerſaliter diuidebat. Verum quia diſcordiam ſæpe pariant nouitates ſicut magiſtra rerum experientia lucidius manifeſtat, ex hoc rumor, & ſcandalũ in Iadrenſi populo terribiliter inſurexit contra Archiepiſcopũ ciuitatis eiuſdem,quo circa ſub anno Domini, milleſimo trecenteſimo ſecundo,indictione prima,tẽporibus primi Regiminis honorabilis, & Magnifici uiri Domini Ioannis Superãcij Egregij Comitis Iadrẽſis,idem Dominus Comes tã prudenter,& utiliter quàm ſalubriter,& celeriter ſe interpoſuit ad ſedationem ipſius ſcandali, & rumoris, & inducendam inter Dominum Archiepiſcopum,& nobiles ciuitatis Iadræ beniuolam vnitatem, & poſt multos tractatus,& uerba ad infraſcriptã concordiam finaliter ſunt deducti, uidelicet quòd religioſus, & uenerabilis pater Dominus frater Iacobus de Fuligno Archiepiſcopus Iadrenſis ſe ſpontaneæ obligaret per infraſcriptum modũ ut fecit, & plenarie continetur in carta ſcripta manu benedicti de Rafaldis notarij,cuius tenor inferius de uerbo ad verbum ſerioſius continetur; poſt quàm curent milleſimo trecenteſimo quinto indictione tertia, temporibus ſecundi Regiminis eiuſdem Egregij viri Domini Ioãnis Superancij,Capitulum cathedralis Eccleſiæ ciuitatis Iadræ unà cum toto clero approbauerunt predictam concordiam,& contractum factum cum Domino Archiepiſcopo antedicto per modum, & ordinem infraſcriptum ſicut continetur in inſtrumẽto in partibus inferioribus intercluſo,ſcripto manu eiuſdem benedicti notarij,ad quorũ contractuum plenariã executionem idem Dominus Archiepiſcopus exiſtens in maiori Palacio Comunis Iadræ unà cum Domino Comite antedicto diſcretos uiros Dominos Michaelem filium Domini Ioannis Guſi primicerium maioris Eccleſiæ Iadrenſis,& Lumprem de Ciualellis elegit in officiales collectores, & diſpenſatores decimæ antedictæ ſeu partis pertinentis ad fabricam Eccleſiæ ſanctæ Anaſtaſiæ ut in contractu ſcripto manu Guidonis de Machagnis Imperialis aulæ notarij inferius intercluſo plenius continetur. Et ne perpetuo de prædicta concordia ſeu pacto in poſterum dubitatio oriatur,uoluit, & mandauit Comune Iadræ ad perpetuam rei memoriam quod de prædictis contractibus fieret hoc ſtatutum,ita quòd ipſa inſtrumenta, & eorum tenores de uerbo ad uerbum debeãt obſeruari,deinceps pro ſtatuto præciſo cui nõ poſſit nec debeat modo aliquo uel ingenio per aliquẽ obuiari, tenor aũt primi inſtrumenti talis eſt.

Tenor primi inſtrumenti talis eſt.

IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Amen. Anno incarnationis eiuſdẽ milleſimo trecenteſimo ſecundo, Indictione prima, die quarto exeunte menſe Octobri Iadræ, temporibus equidem domini Petri Gradonico incliti Ducis Venetiarum, & Domini fratris Iacobi de Folign. Venerabilis Iadren. Archiepiſcopi, ac Domini Ioannis Superantij egregij Comitis. Cum inter venerabilem patrem dominum fratrem Iacobum, de ordine minorum, fratrum Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Iadren. Archiepiſcopum ex una parte, & nobilem virum dominum Ioannem Superantium Comitem ciuitatis Iadren. memoratum, nec non, & dominos Stanum de Varicaſsis, Vulcina. de Matafaro. Iacobum Zadolin. Lumpre. de Ciualellis. Bogde de Lourethena, Iacobum de Petrez, Simeonem de Slorato, Micham de Martinuſſo, Fredericum Griſogoni, & Dobrem de Begna nobiles viros & ciues Iadren. electos ad infraſcripta de voluntate vnanimi, & conſenſu maioris conſilij eiuſdem ciuitatis nomine, & vice Comunis Iadren. & pro vtilitate publica, & vniuerſal. & pro inſtruenda fabrica vniuerſal. & Cathedral. Eccleſiæ ciuitatis Iadren. ex altera parte. Super eo quòd prædicti domini Comes, & nobiles nomine prædicto dicebant, petebant & firmiter aſſerebant, quòd prædictus dominus Archiepiſcopus vnà cum prædicto domino Comite, & ambo ſimul deberent eligere duos bonos, & honeſtos viros, & legales qui reciperent, & recipere deberent omnes redditus decimales, & quoſcunque alios pertinentes ad refectionem fabricæ beatæ Anaſtaſiæ & ipſos redditus receptos debeant facere diſtribui & expendi in refectionem & fabricam Eccleſiæ antedictæ ad uoluntatem domini Archiepiſcopi antedicti, & quòd Dominus Archiepiſcopus debeat addere duos clericos prædictis duobus laycis qui omnes in ſimul debeant omnia ſupradicta integraliter, & fideliter adimplere pro utilitate fabricæ Eccleſiæ antedictæ cum hoc fuerit ſic a retroactis temporibus diutius obſeruatum ab eo tempore, cuius initium non eſt in memoria hominum uiuentium in Iadren. & alibi per totam prouinciam Dalmatinam, &ècontra quòd Dominus Archiepiſcopus antedictus dicebat, & aſſerebat ſe non teneri nec obligatam eſſe Eccleſiam ſuam ad obſeruantiam prædictorum. Volentes prædictæ partes ſubortum litigium, & eius occaſionem ad præſens tollere, & in poſterum radicitus amputare. Et conſiderans Dominus Archiepiſcopus antedictus quòd ſic fuerat hactenus obſeruatum ut dictum eſt ad hanc concordiam de plano pro bono pacis, finaliter ſponte, & unanimiter deuenerunt uidelicet quòd prædictus Dominus Archiepiſcopus ſolus debeat eligere, & inſtituere duos uiros legales, & bonos unum clericum, & alium laicum qui ſingulis annis ſine contraditione aliqua ipſius Domini Archiepiſcopi recuperent, & recipiant omnes fructus & redditus decimales ſpectãtes ad fabricam Eccle

ſiæ antedictæ,& ipſos expēderent in utilitate ipſius fabricæ,& in ipſam fabricā pro vt viſum fuerit eſſe vtile Domino Archiepiſcopo antedicto,& euidenti vtilitati ipſius Eccleſiæ, & ipſorũ officiũ duret per annum vel etiã plus donec fuerint reuocati,& remoti ſeu ab ipſo officio abſoluti dũ tamē ipſi duo viri ſic electi omni anno teneãtur, & compellantur per Dominũ Comitē cõputare calculare,& rationē facere ſibi bene,& diſtincte de omni eo quod ad eos peruenerit,& de omni quod receperunt,& expēderunt in fabricam Eccleſiæ antedictæ preſente Domino Archiepiſcopo antedicto ſi voluerit interreſſe quæ omnia,& ſingula, & quælibet prædictorũ venerabilis Pater Dominus Archiepiſcopus antedictus nomine ſuo, & Eccleſiæ antedicte promiſit per ſtipulationē ſolemniter interpoſitã domino Comiti,& à ſumptibus antedictis firma,& rata habere, & tenere perpetuo,& non contrafacere vel venire de iure,vel de facto ſub infraſcripta pena, & ècontra prædictus Dominus Comes cum ſapiētibus antedictis promiſerũt Domino Archiepiſcopo antedicto omnia,& ſingula ſupraſcripta,& infraſcripta firma, & rata habere,& tenere ſub pœna librarum mille denariorum Venet. paruorum, quam quidem pœnam una pars alteri ad inuicem, & vicisſim ſolemniter promiſit ſtipulationibus hinc inde interuenientibus,& uoluerũt prædicte partes pro vno quoque capitulo & articulo huius contractus nõ ſeruato toties comiti contra partem non obſeruantem, & peti, & exigi posſit cum effectu per partem illam quæ obſeruauerit quoties ventum fuerit contra prædicta,& infraſcripta omnia,& ſingula vel aliquod ipſorum,& pœna petita vel non exacta, vel non ſoluta,vel non ex virtute huius cõtractus omnia, & ſingula ſupraſcripta, & infraſcripta debeant per ipſas partes plenarie attendi, & integraliter obſeruari cnm obligatione omnium bonorum, & redituum Archiepiſcopatus, & Comunis Iadræ præſentium, & futurorum, quæ bona ad inuicem vna quæque pars pro altera ſe precario conſtituit posſidere uſque ad ſatisfactionem penæ integraliter faciendam pro ſingulis capitulis in quibus comiſſa fuerit ex eo quòd aliqua partium non attenderit, uel non obſeruauerit prædicta, uel aliquod prædictorum, & cum reſartione ſeu ſatiſfactione totius damni, & intereſſe factorum prædicta de cauſa, credendo de prædictis, & quolibet prædictorum ſoli uerbo partis attendentis abſque ſacramento, & alia probatione. Inſuper pars non obſeruans prædicta,uel aliquod prædictorum dedit parabolam, & plenam licentiam parti obſeruanti prædicta quòd posſit, & debeat ſua auctoritate ſine alicuius iudicis licentia,uel decreto intrare,& recipere tenutam,& corporalē poſſeſſionem bonorum partis non obſeruantis prædicto uel aliquod prædictorũ vſque ad ſatisfactionem plenam omniũ damnorum, & intereſſe pactorum non obſeruatorũ,& pœnæ exactionem & acceptã ipſorum bonorũ poſſesſionē pars quæ ſic acceperit posſit retinere inſolutũ ſi voluerit,& alteri uendere ſicut ſua de parabola, & plena licentia ex nunc ſibi conceſſa,ac uoluntate partis non obſeruantis prædicta, uel aliquod prædictorum renunciaue-

runt inſuper partes prædictæ ſibi adinuicem,& uicisſim per pactum ſpeciale omnibus ferijs, & diebus feriatis ſtatutis, & reformacionibus Communis Iadræ factis,& faciendis exceptioni, & probationi doli mali in factum, & deceptioni, ſimulationi, fictioni, fraudis, beneficio in integrum reſtitutionis,condicionis ſine cauſa ſuplicationi,& appellationi,ipſam appellationem remittendo per pactum expreſſum exceptioni quòd metus cauſa officio iudicis,porrectione libelli,litis conteſtationi,priuilegio fori, cauſæ non interuenientis,iuſtæ uel iniuſtæ literis,& priuilegijs impetratis,& impetrandis,& omnibus alijs ſuis iuribus ſpecialibus,& comunibus Eccleſiaſticis,& ciuilibus expresſis,& nõ expresſis quo uel quibus alterutra partiũ poſſet uenire contra prædicta uel aliquod prædictorum. Actum eſt hoc, & firmatum coram hijs vocatis, & rogatis teſtibus in loco fratrum minorum conuentus Iadræ ſcilicet religioſis iuris prouidis, & honeſtis fratre Pace miniſtro ordinis Minorum in Sclauonia,fratre Antonio de Pola, & fratre Nicola de Iadra dicti ordinis Minorum,& nobilibus viris Domino Rizardo Quirino,& Domino Petro Belegno Conſiliarijs Iadræ, & diſcreto uiro Domino Nicophoro Archidiacono Iadren. Paulo de Buſaco, & Creſte de Grubogna ciuibus Iadræ, & alijs. Ego Benedictus de Raffaldis Imperiali auctoritate not. publicus,& prædicti ac memorati Domini Ioannis Superancij ſcriba prædictis omnibus preſens fui, & rogatus cum inſtantia a prædictis partibus ſcripſi, compleui,& roboraui.

Tenor autem ſecundi inſtrumenti talis eſt.

IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Amen, anno incarnationis eiuſdẽ milleſimo treceteſimo quinto, indictione tertia, die quartodecimo intrante menſe Aprilis Iadræ,temporibus equidem Domini Petri Gradonico incliti Ducis Venetiarum,& Domini fratris Iacobi de Foling.venerabil. Iadren. Archiepiſcopi, ac Domini Ioannis Superanc. Egregij Comitis, cum inter venerabilem Patrem Dominum fratrem Iacobũ de ordine fratrum minorum Iadrenſem Archiepiſcopum memoratũm nomine ſuo,& ſue Eccleſiæ beatæ Anaſtaſiæ ex una parte,& Nobilem uirum Dominum Ioannem Superantium tunc temporis Comitem Iadrenſem ſupradictum, nec non diſcretos viros Dominos Stanum de Varicasſis,Vulcinam de Mattafaro, Iacobum Zadolin. Lumpre de Ciualell. Bogde de Louretena,Iacobum de Petreze,Simeonem de Zlorado, Micham de Martinuſſo, Federicum Griſogoni, & Dobre de Begna nobiles ciues ciuitatis Iadrenſis nominibus ſuis, & Comunitatis Iadræ ex altera parte, pro euidenti utilitate ipſius Eccleſiæ, & fabricæ ac etiam ciuitatis eiuſdem,inita,& facta fuiſſet infraſcripta concordia ſeu compoſitio ſuper colligenda, & gubernanda,expendendæ ac diſpenſanda quarta parte decimæ Iadrenſis ciuitatis , & diſtrictus eius ad opus fabricæ, & in fabricam Eccleſiæ Beatæ Anaſtaſiæ per duos bo-

nos, & legales viros ut in inſtrumento compoſitionis , & concordiæ facto , & ſcripto manu mei notarij infraſcripti plenius continetur. prouidi & diſcreti viri Domini Nihiforus Archidiaconus , Stephanus plebanus ſancti Petri noui , Simeon Plebanus ſancti Petri veteris qui erant & ſunt Hiconomi , & ſpeciales procuratores , & ſindici capituli antedicti ſiue Eccleſiæ antedictæ conſiderantes , quòd talis compoſitio & concordia redundabat ad euidentem vtilitatem fabricæ ipſius Eccleſiæ procurauerunt,& vnanimi conſilio decreuerunt confirmationem & approbationem infraſcripti contractus euidenter pertinere expectare ad bonum ſtatum,& reparationem, ac conſeruationem perpetuam ipſius Eccleſiæ antedictæ. Et ideo fecerunt omnes de capitulo ipſius Eccleſiæ,& ipſum capitulum euocari,conueniri,& congregari, ſecundum conſuetudinem ipſius Eccleſiæ in loco in quo ſolitum eſt ipſum capitulum congregari in quo quidē capitulo congregato more ſolito , vt dictum eſt interuenerunt venerabilis Pater dominus Archiepiſcopus antedictus , & diſcreti viri domini Procuratores,& hyconomi ſupradicti,nec non domini Martinus Plebanus ſancti Miche , Marinus Plebanus ſancti Stephani, Michael Primicerius Iadrenſis, Griſogonus Plebanus ſanctæ Mariæ Maioris, Ioannes Archidiaconus Fare,Franciſcus Clericus ſanctæ Anaſtaſiæ,Presbiter Stephanus, & Presbiter Damianus ſanctæ Anaſtaſiæ, Ciprianus Acholitus , presbyter Michael ſancti Miche , Presbyter Marinus ſanctæ Anaſtaſiæ,Presbyter Dragoſius Eccleſiæ ſancti Miche , Presbyter Dragus Eccleſiæ ſancti Petri Noui , Presbyter Matheus ſancti Stephani , Andreas diaconus ſanctæ Mariæ Maioris , Thomas diaconus ſancti Petri Noui , Presbyter Georgius ſanctæ Anaſtaſiæ , Damianus diaconus ſancti Petri noui , Martinus diaconus ſanctæ Anaſtaſiæ,Damianus diaconus ſancti Petri Veteris, Simeon diaconus ſancti Stephani,Nicolaus diaconus ſancti Miche,Presbyter Vitur ſanctæ Anaſtaſiæ,Nicolaus ſubdiaconus ſanctæ Anaſtaſiæ, Mire diaconus ſancti Petri Noui,Georgius Acolitus , Griſogonus Acolitus , Presbyter Vitus ſclauus ſanctæ Anaſtaſiæ,Presbyter Andreas ſanctæ Mariæ Maioris, Presbyter Coſma Capellanus ſancti Laurentij , Presbyter Vulcina Eccleſiæ ſancti Petri Noui,Ioannes diaconus ſanctæ Mariæ Maioris, Simeon diaconus ſanctæ Mariæ Maioris , Presbyter Baſilius ſancti Stephani , Presbyter Siuigna ſanctæ Mariæ Maioris,Presbyter Andreas de Quartiza ſanctæ Mariæ Maioris,Simeon diaconus ſanctæ Anaſtaſiæ,Ioannes ſubdiaconus ſanctæ Anaſtaſiæ , Helia diaconus ſanctæ Anaſtaſiæ , Griſogonus clericus ſanctæ Anaſtaſiæ , coram quibus propoſitum fuit per dominum Archidiaconum ſupradictum in pleno capitulo nomine & uice ſua, & prædictorum hyconomorum,ſeu procur. de modo & forma de confirmatione & approbatione, uel de reuocatione,ſeu improbatione infraſcripti cōtractus. Demum poſt longum ſermonem,& multorum arrengatorum eloquentiam,ſeu dicta omnes ſupradicti qui faciunt plenum & totum capitulum , nullo pœnitus di-

ſcrepante, & totum capitulum preſente domino Archiepiſcopo ſupradi-ćto,tanquàm capitulum & collegium ipſius Eccleſiæ conſiderantes dićtam concordiam compoſitionem & contraćtum perutilem eſſe dićtæ Eccleſiæ, & conſuetudini optentæ haćtenus ab antiquiſsimis temporibus conueni re cerciorati clarè & diſtinctè ſupra infraſcripto contractu ex certa ſcien-tia pro meliori ſtatu reparatione, ac perpetua conſeruatione ipſius Eccle-ſiæ,& ut ſeruetur & imitetur conſuetudo diutius obſeruata,approbauerũt, laudauerunt,ratificauerunt,acceptauerunt,& emologauerunt infraſcriptũ contractum,concordiam,& compoſitionem in omnibus,& per omnia pro-ut in ipſo contractu plenius & ſerioſius cõtinetur,& idem contractui ſuum præbuerunt aſſenſum beniuolum, & attentum. Poſtque omnes ſupradicti tamquàm capitulum promiſerunt prædicto domino Ioanni Superantio Co miti ſupradicto nomine & uice ciuitatis prædictæ recipienti & mihi nota-rio infraſcripto ſtipulanti nomine oĩum quorum intereſt, vel intereſſe po-terit ipſum contractum,& oĩa, & ſingula, quæ in ipſo contractu plenius & ſerioſius continentur,rata,& firma habere,& tenere perpetuo, & non con-trafacere uel uenire de iure,uel de facto per ſe,uel per aliũ aliqua rõne,uel cauſa,ſub pœna mille librarum denariorum Venetorũ paruorũ,quam qui-dem pœnam una pars alteri ſibi adinuicem & uiciſsim ſolemniter promi-ſit ſtipulationibus hinc inde interuenientibus, & uoluerunt prædictæ par-tes ipſam pœnam, pro vno quoq; capitulo huius contractus non ſeruato to tiens cõmitti contra partem non obſeruantem,& peti, & exigi cum effectu per partem,quæ obſeruauerit,quotiens ventum fuerit contra ipſam ratifi-cationem & approbationem, uel in aliquam partem ipſius, & pœna exacta petita,uel non ſoluta,vel non ipſe contractus ratificatio & approbatio rata maneat, & perduret ſub obligatione oĩum bonorum & reddituum ipſius capituli & Comunitatis Iadræ præſentiũ & futurorũ,quæ bona adinuicem una pars pro altera ſe precario conſtituit poſſidere vſq; ad ſatisfactionem pœnæ integraliter faciendam pro ſingulis capitulis huius ratificationis & approbationis cum ſatisfactione totius damni & intereſſe factorum præ-dicta de cauſa credendo de prædictis,& quolibet prædictorum ſoli verbo partis obſeruantis prædictam ratificationem & approbationem ſine ſacra mento,& alia probatione,inſuper pars nõ obſeruans infraſcriptum contra ctum concordiæ,& præſentem ratificationem & approbationem dedit pa rabolam & plenam licentiam parti obſeruanti, quòd poſſit & debeat ſua auctoritate, ſine alicuius Iudicis licentia, uel decreto intrare tenutam & corporalem poſſesſionem bonorum partis non obſeruantis infraſcriptum contractum concordiæ,uſq; ad ſatisfactionem plenariam damnorum & in tereſſe,& ipſam tenutam poſſit ſibi retinere, ſi uoluerit, & alteri uendere, ſicut ſuam de uoluntate & plena licentia ſibi conceſſa, hinc inde renuncia-uerunt. Inſuper partes prædicte adinuicem, & uiciſsim omnibus ferijs & diebus feriatis exceptioni,& probationi,doli,deceptioni, ſimulationi, ſi-

ctioni,fraudis,beneficio,in integrũ reſtitutionis cõditioni, ſiue cauſa ſupplicationi & appellationi ipſam appellare remittentes expresſim per pactum priuilegio fori cauſe non interuenientis iuſte, uel iniuſte literis, & priuilegijs impetratis,& impetrandis,& omnibus alijs ſuis iuribus ſpecialibus & comunibus Eccleſiaſticis, & ciuilibus expresſis, & non expresſis, quo uel quibus alterutra partiũ poſſet uenire contra prædicta, uel aliquod prædictorum. Tenor autem inſtrumenti compoſitionis, & concordiæ de quo ſuperius eſt habita mentio talis eſt in omnibus,& per omnia.

Tenor Inſtrumenti compoſitionis de quo ſuperius eſt habita mentio.

IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Amen, Anno incarnationis eiuſdem milleſimo trecenteſimo ſecundo,indictione prima,die quarto,exeũte mẽſe Octobris Iadræ temporibus equidem Domini Petri Gradonico inclyti Ducis Venet. & Domini fratris Iacobi de Folign. venerabilis Iadren. Archiepiſcopi ac Domini Ioannis Superantij Egregij Comitis. Cum inter venerabilem Patrem Dominum fratrem Iacobum de ordine minorum Dei & apoſtolicæ ſedis Gratia Iadrenſem Archiepiſcopum ſupradictum ex una parte,& Nobilem uirum Dominum Ioannem Superantium Comitem ciuitatis Iadrẽſem memoratũ nec nõ etiã Dominos Stanum de Varicasſis,Vulcinam de Mattafaro, Iacobum Zadolin. Lumpre de Ciualell.Bogde de Louretena,Iacobum de Preteza,Simeonem de Slorado, Micham de Martinuſſio, Federicum Griſogoni,& Dobre de Begna nobiles viros,& ciues ciuitatis Iadrenſis electos ad infraſcripta de uoluntate, & conſenſu maioris Cõſilij eiuſdem ciuitatis nomine,& uice Communis Iadren.& pro vtilitate publica,& uniuerſali,& pro inſtruenda fabrica uniuerſalis, & cathedralis Eccleſiæ ciuitatis Iadren. ex altera parte, ſuper eo quòd prædicti Domini Comes, & nobiles nomine prædicto dicebant petebant, & firmiter aſſerebant quòd prædictus Dominus Archiepiſcopus vnam cum prædicto Domino Comite, & ambo ſimul deberent eligere duos bonos, & honeſtos, & legales viros, qui reciperent,& recipere deberent omnes redditus decimales, & quoſcunq; alios pertinentes ad refectionem fabricæ beatæ Anaſtaſiæ, & ipſos redditus receptos debeant facere diſtribui et expendi in refectionẽ & fabricam Eccleſiæ antedictæ ad voluntatem Domini Archiepiſcopi antedicti,et quòd Dominus Archiepiſcopus debebat addere duos clericos prædictis duobus Laicis,qui omnes inſimul debeant oĩa ſupradicta integraliter et fideliter adimplere pro utilitate fabricæ Eccleſiæ antedictæ cum hoc fuerit ſic à retroactis temporibus diutius obſeruatum ab eo tempore cuius initium nõ eſt in memoriam hominum uiuentium in Iadrenſi ciuitate et alibi per totã prouintiã Dalmatinã. Et ècontra quòd Dominus Archie-

ni,& intereſſe factorum prædicta de cauſa credendo de prædictis, & quolibet prædictorum ſoli uerbo partis attendentis abſque ſacramento & alia probatione. Inſuper pars non obſeruans prædicta, uel aliquod prædictorum dedit parabolam, & plenam licentiam parti obſeruanti prædicta, quòd poſsit, & debeat ſua auctoritate, ſine alicuius iudicis licentia, uel decreto intrare, & recipere tenutam & corporalem poſſeſsionem bonorum partis non obſeruantis prædicta, uel aliquod prædictorum, uſque ad ſatisfactionem plenariam omnium damnorum, & intereſſe pactorum non obſeruatorum, & pœnæ exactionem, & acceptam ipſorum bonorum poſſeſsionem pars quæ ſic acceperit, poſsit retinere inſolutum, ſi uoluerit, & alteri uendere, ſicut ſua de parabola, & plena licentia ex nunc ſibi conceſſa, ac uoluntate partis non obſeruantis prædicta, uel aliquod prædictorum. Renunciauerunt inſuper partes prædictæ ſibi adinuicem, & uicíſsim per pactum ſpeciale omnibus ferijs & diebus feriatis ſtatutis, & reformationibus Comunis Iadre factis & faciendis exceptioni, & probationi, doli, mali in factum, & conditioni, deceptioni, ſimulationi, fictioni, fraudis, beneficio in integrum reſtitutionis, conditionis, ſine cauſa ſupplicationi, & appellationi, ipſam appellationem remittenter per pactum expreſſum exceptioni, quòd metus cauſa officio iudicis porrectioni, libelli, litis conteſtationi, priuilegio, fori cauſæ non interuenientis iuſtæ, uel iniuſtæ literis, & priuilegijs impetratis, & impetrandis, & omnibus aliis ſuis iuribus ſpecialibus, & comunibus Eccleſiaſticis, & ciuilibus expreſsis, & non expreſsis, quo, uel quibus alterutra partium poſſet uenire contra prædicta, vel aliquod prædictorum. Actum eſt hoc, & firmatum coram his uocatis, & rogatis teſtibus in loco fratrum Minorum Conuentus Iadiæ, ſcilicet Religioſis viris prouidis, & honeſtis fratre Pace miniſtro Ordinis Minorum in Sclauonia, Fratre Antonio de Pola, & Fratre Nicola de Iadra dicti Ordinis Minorum, & nobilibus viris Domino Rizardo Quirini, & Domino Petro Belegno Conſiliariis Iadræ, & diſcreto uiri Nichiphoro Archidiacono Iadræ, Paulo de Buſacho, & Creſte de Grubogna ciuibus Iadræ, & alijs. Ego Benedictus de Raphaldis imperiali auctoritate Notarius publicus, & prædicti, ac memorati domini Ioannis Superantij ſcriba prædictis omnibus præſens fuit, & rogatus cum inſtantia à prædictis partibus ſcripſi, compleui, & roboraui. Actum eſt hoc, & firmatum in Eccleſia ſanctæ Barbaræ de Iadra coram his uocatis & rogatis teſtibus ſcilicet Domino Milantio Iudice, Petro Enuiciato, Milite dicti Domini Comitis, & Vberto Notario, dicti Domini Comitis, & Adamo Portulano portus Iadræ, & alijs.

Ego Benedictus de Raphaldis Imperiali auctoritate Notarius & Iadren. iuratus prædictis omnibus præſens fui, & rogatus ſcripſi, compleui, & roboraui.



Ego Franciſcus Celeſtinus Cancellarius Clariſsimi Domini Capitanei Iadræ ex autentico libro Statutorum Iadræ manu ſcripto, & exiſtenti in Cancellaria Clariſsimi Domini Comitis Iadræ fideliter,de verbo ad verbum exemplaui,& in fidem me ſubſcripſi,& ſigillaui.

Andreas Bondimerius Comes Iadræ.



Vniuerſis & ſingulis præſentes inſpecturis: fidem indubiam facimus & atteſtamur Statutum D. Franciſcum Celeſtinum,qui ſupraſcripta Statuta exemplauit ex authentico eſſe Cancellariam Clarisſimi D. Capitanei huius Ciuitatis, legalem , & authenticum, cuius ſcrip. & act. hic, & ubique locorum plena fides adhiberi poteſt, in quorum fidem,&c.

Iadræ die 18. Martij 1564.

Ioannes Antonius Cernota Notarius, &
V. Canc. Prætorius M.

QVOD CONTRACTVS CONFICI poſsint tempore peſtis ſine examinatoribus.

CVM quondam Magnificus Dominus Petrus Baſadona Comes Iadræ prouiderit ob euidentem neceſsitatem manifeſtumq; periculum, quòd peſtis tempore omnes pro libito teſtari poſſent coram teſtibus fide dignis, quorum voluntas deinde per Cancellarium ſuum, & ſucceſſores examinatis in publicam reddi gerentur formam quam quidem prouiſionem, tamquàm prudentisſime factam amplisſime imitati ſumus, imo auctoritate noſtri Magiſtratus comprobamus, & quoniam dicto tempore peſtis, & Conſiliarij, & Iudices examinatores ceteriq; nobiles, & ciues Iadræ ſe abſentant à Ciuitate pro eorum ſalute, quorum diſceſſus, dictis examinatoribus, & reliquis non prohibetur, quia quanto magis in columitatem petunt, tanto gratius Illuſtriſs. Do. Noſtro futurum exiſtimamus tamen publice, ac priuate vtilitati conſulendum ſemper putanimus, ne conſequeretur incommodum, ac preiuditium vniuerſaliter in contractibus quomodocunque celebrandis defectu dictorum conſiliariorum, & examinatorum, quod ſepiſsime contigit tempore noſtro cum ciuium, & contrahere uolentium conſumptione ex quacunq; re nõ inutilem, Ergo nos Antonius Venerius pro Sereniſsimo Venetorum Senatu Comes Iadræ prouiſioni ſupraſcripte, ſtatuimus addendo circa contractus in futurum celebrandos declarandum eſſe, & ſic hac noſtra ſententia in poſterum obſeruan. pronuntiamus & declaramus, videlicet quòd tempore peſtis coram ſaltem duobus teſtibus fide dignis, & Notario publico contractus & Inſtrumenta libere, inter ciues & diſtrictuales Iadræ, ac forenſes, ex quacunque re, & cauſa celebrari poſsint, ualeantque dicti contractus ſic utſupra legitime facti, quamquam non fuerint coram examinatoribus, uel conſiliarijs celebrata, in quibus contractibus declaramus ſubſcriptionem ipſorum examinatorum, uel conſiliariorum non expedire, nec propter abſentiam illorum dictis inſtrumentis quomodocunque factis peſtis tempore derogatum eſſe, Ceſſata autem peſte, & examinatoribus electis, tunc ipſi exerceant officium ſuum, circa contractus, ut ante. quam declarationem in capitulari nouo iuſsimus deſcribendam, Declarantes etiam, quòd in teſtamentis conficiendis, dicto peſtis tempore, duo ſaltem ſufficiant teſtes legitimi ad releuandum illa, aliquo in contrarium non obſtante.

Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo indictione tertia, die uigeſimo tertio Martij ſubtus logiam Communis, publicata fuit ſupraſcripta declaratio aſtante populi multitudine, lecta per me Petrum Antonium de Azono, Patauum ſupraſcript. Mag. Domini Comitis Cancell. preſentibus ſer Petro de Roſa, & ſer Ioanne de Fumatis, & ſer Nic. de Regna, & alijs: Quæ prouiſio deinde die primo Aprilis 1470. ad lapidem ſtendardi in platea multitudine copioſa, & ciuium, & Villicorum preſente per Nicolaum Gaſtaldionem preconum, & ſono Tubeta more ſolito, & in lingua latina, & lingua Sclaua proclamata fuit de uerbo ad uerbum, ad omnium notitiam, ut ſupra continetur. Cuius prouiſionis copia miſſa fuit ſp. D. Caſtellanis Auranæ, & Nouigradus, ſimiliter in locis eorum cridanda, & proclamanda.

1458 Indictione vi. die 14 Maij.

Ad honorem, laudem, & reuerentiam Omnipotentis Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſuæq; glorioſisſimæ matris Virginis Mariæ, atq; beati Marci Euangeliſtæ almi patris, & aduocati, ac benigni protectoris, & defenſoris inclitæ, & potentisſimæ urbis Venetiarum, & omnium populorum ſub eo degentium, necnon ad honorem, gloriam, exaltationem, & triumphum Illuſtrisſimi Principis, & Domini noſtri excellentisſimi Domini Paſqualis Maripetro Dei gratia inclyto Ducis Venetiarũ, &c. facta fuit hæc Reformatio capitularis ciuitatis Iadrenſis partim per Illuſt. Duc. Dominium Venetiarum, cum ſuo excelſo Conſilio decem, & partim per Magnificos, & generoſos uiros dominum Andream Marcello, honorabilem Comitem, & dominum Ioannem Triuiſano honorabilem Capitaneum ciuitatis, & diſtrictus Iadræ, ex auctoritate, & arbitrio eos datis, & attributis a predicto conſilio decem, ut apparet per litteras Ducales cum ipſo Conſ. decem prefatis Dominis rectoribus ſcriptas, & emanatas datas Venetijs die 13 menſis Aprilis anni preſentis currentis 1458. Statuentes atque prouidentes, & ordinantes ſupraſcripti Mag. D. Rectores cum auctoritate ſupraſcripte excelſi Conſilij decem. Huiuſmodi Reformationes cum omnibus, & ſingulis capitulis ſuis inferius annotatis, pro lege inuiolabili, pro euidenti commodo, & utilitate rei publice, & totius ciuitatis Iadrenſis, per ciues, & diſtrictuales Iadrenſes, ſub penis, & ſtricturis, in eis capitulis contentis, & deſcriptis, de cetero ſeruari debere irritantes, & annullantes auctoritate predicta quecunque capitularia uetera, que ſi ullo futuro tempore apparuerint, & penes quemquam reperta fuerint, accipi debeant, & perdi, per modum quòd nulla de eis in futurum memoria reperiatur, ſecundum formam, mandatum, & continentiam litterarum antedictarum, & nihilominus ſubiaceat pene contentæ in proclamationem ſuperinde factæ per ipſos dominos Rectores.

1 De proceſsione fienda ſingulo anno, quolibet ultimo die menſis Iulij quo die Ill. Duc. Do. Venet. recuperauit ciuitatem Iadræ, & de ceris in ipſa proceſsione defferendis.

Item primo ad laudẽ, gloriam, & reuerentiam Omnipotentis Dei, & glorioſisſime ſemper Virginis Mariæ, ac Beatisſimi Marci Euangeliſtæ, & protectoris ciuitatis Iadrenſis, totiusque Curiæ celeſtis, nec non ad laudem, honorem, & triumphum, & bonum ſtatum, noſtri Ill. Dominij Venetiarum prelibati ueri, & legitimi Domini prefatæ ciuitatis, quod perpetuo omni anno quolibet ultimo die menſis Iulij quo uidelicet die, prelibatum noſtrum Ill. Dominium Venet. recuperauit ſuam ciuitatem Iadræ, fiat proceſsio ſolemnis per ciuitatem predictam cum clero, & populo, in qua proceſsione quelibet artiũ vadat de per ſe gradatim cũ ſuo cereo, & aliis ſolẽnitatibus, iuxta laudabilem conſuetudinẽ, hactenus obſeruatã, & ſimiliter quilibet iudicatus oĩum inſularũ dare debeat ſoldos trigĩtaduos paruorũ pro cereis, qui cerei omnes portentur in dicta proceſsione iuxta ſolitum, qua proceſſione finita cantetur una Miſſa ſolemnis in Ecc. cathedrali ſanctæ Anaſtaſiæ ad honorem dicti beatisſimi Marci Euangeliſtæ.

2 Quòd debitores pro debitis ſpetialium perſonarum in qualibet die ultima menſi Iulij, ac diebus octo ante ipſam diem, & totidem poſt, tute uenire posſint Iadram, & inde recedere &c.

Item quòd eo die ac diebus octo ante dictam diem, & totidẽ poſt incluſiue. Omnes & quicumque debitores tam ciues quàm forenſes pro puris debitis ſpecialium perſonarum, tute, & libere uenire posſint Iadram, & eius diſtrictum cum eorum rebus quibuſcumque, & ibi ſtare, manere, & redire ad ſui libitum omni moleſtia ſuorum creditorum totaliter ceſſante.

3 Quòd in die ultima Iulij non posſit aliquis laborare in Iadra, & Burgo Iadræ.

Item quod in dicta die ultima Iulij, nemo in ciuitate Iadræ, & eius Burgo, audeat laborare, uel aliquod opus, uel artem exercere, ſub pena librarũ duarum paruorum, pro quolibet contrafaciente, & uice, qua ex eo quia dicta dies utilis, & ſolemnis illuxit ciuitate Iadræ, quia reuerſa eſt, & peruenit ad manus ſui ueri, & legitimi Domini, uidelicet, incliti Ducalis Dominij Venetiarum.

4 De Brauijs currendis in dicta die ultima Iulij.

Item quòd eodem die ultimo Iulij finita dicta proceſsione curratur ad

brauium pedeſtre per ciuitatem Iadre,ſiue trahatur cum arcu, & ſimiliter octauo die,uel primo feſto poſt predicta curratur ad brauium,equeſtre,iuxta ſolitum,ſiue ioſtretur in Iadra,quæ duo brauia ponuntur de hauere prelibati inclyti Ducalis Dominij Venetiarum,ad laudem,& memoriam tantæ ſolemnitatis,& letitiæ.

5 De brauio trahendo cũ baleſtra quod poni ſolet per mercatores Iadræ.

Item quòd die quintodecimo poſt dictam diem,ſiue ſecundo die feſto tunc prox.futuro trahatur brauium cum baleſtra in Iadra,quod omni anno ſoliti ſunt ponere ſua ſpontanea uoluntate Egregij mercatores Iadræ,in memoriam tantæ letitiæ, & gaudij diem, ac ad honorem excellentiæ Ducalis Dominationis Venetiarum.

6 Quòd nemo blaſfemet Deum,neque ſanctos.

Item quòd qui maledixerit Omnipotenti Deo, uel Beatæ Virgini Mariæ ſoluat libras decem paruorum nomine penæ Comuni Venetiarum, & ſi maledixerit alicui ex ſanctis, ſoluat libras quinque paruorum, & ſi ſoluere non poterit,ponatur, & maneat tribus diebus integris in cathenis apud petram ſtendardi,& plus,& minus arbitrio Domini Comitis, & qui accuſauerit blasfemantem, uel ut premittitur maledicentem, habeat medietatem pœnæ pecuniariæ prædictæ,ſi per verit. poterit reperiri, & teneatur de credentia.

7 De condemnationibus non annullandis.

Item quia rei publice diſpendium oriretur non modicum,ſi realiter,perſonaliter,uel quomodolibet condemnatus dolo,uerſutia,vel aſtuto ingenio iuditij poſsit vigorẽ infringere,uel aliqualiter diffalcare.Statuimus,& obſeruari mandamus,quòd nulla condemnatio pecuniaria,corporalis,vel cuiuſcunque alterius generis facta,& publicata in aliquam perſonam,uel perſonas poſsit per Dominum Comitem,uel alium quemcunq; modum remitti,vel minui,caſſari,mitigari,alleuiari,prolongari,vel de ipſa,aut parte eius aliquo modo fieri gratia.

8 De tractantibus contra honorẽ Ill.Duc.Do.Venet. & ciuitatis Iadren.

Item quòd ad extirpandam omnem nequitiam,& malam cogitationem, de cordibus emulorum Ser.Do.noſtri Venetiarum publicæ debeat proclamari,& perpetuo obſeruari,quòd nulla perſona cuiuſcunque ſtatus preminentiæ,& condictionis exiſtat,audeat, uel preſumat tractare, uel tractari

facere aliquid contra honorem prefati inclyti Dominij noſtri Venet. ſub pœna eris,& perſonarum, & quodammodo in antea quelibet perſona cuiuſcunque conditiones,ſtatus,& preminentiam exiſtat, quæ modo aliquo uel ingenio requiſita fuerit ab aliquibus,communiter,uel diuiſim, uel quo modo,uel ingenio per ſe,uel alium preſenſerit,uel audiuerit aliquid quod poſſet modo aliquo redundare contra predictum Statum pacificum, prout ſupra,teneatur ſi ſciuerit,& fuerit in Iadra de preſenti,ipſa die notum facere,& ſignificare predicta Rectoribus Iadræ,qui pro tempore fuerint, Si uero fuerit in diſtrictu Iadræ ſequenti die , & ſi fuerit in Dalmatia , & in qualibet Crouatiæ , infra octo dies,a die qua ad eius notitiam peruenerit aliquid predictorum,& ſignificare , & denuntiare debeat ipſis Rectoribus, qui pro tempore fuerint, Si uero eſſet extra prefatos terminos,id notificare debeat quam citius poterit memoralis Rectoribus. Alioquin ipſi, & quilibet predictorum qui auſu temerario,& contra predicta auderent aliquid uel aliquos occultare vltra terminos antedictos , tanquã infideles Illuſtriſſimi Dominij Venet. capitali pœna , & omnia eorum bona mobilia,& immobilia deueniant in Comune Venetiarum.

9 De pœna non accurrentium gridantibus uiolatis.

Item quòd ſi quis sforzatus fuiſſet per aliquem in diſtrictu Iadræ, & ille talis sforzatus gridauerit agiuta,uel pomagayte,quilibet diſtrictualis audiens ad talem gridantem teneatur , & debeat ire ad adiuuandum talem gridantem , dum tamen accurrens ſit de diſtrictu Iadræ,& habitet in ipſo diſtrictu,ſub pœna quadraginta ſoldorum paruorum pro quolibet,& qualibet uice,& quilibet poſſit accuſare quemcunque , aut quoſcunque uolentem,uel uolentes ire ad adiutandum, ad defenden. ſuum conuicinum , uel alium ſic gridantem,dum tamen ſit talium auribus notum, & manifeſtum.

10 De conſilio Iadrenſi.

Item quòd omnes qui ſunt,& qui erunt de conſilio Iadræ debeant iurare conſilium Iadræ,& faceret ſe ſcribi in quaterno Comunis,& ſi quis ſcriptus non reperiretur,ingredi non ualeat conſilium,donec iurauerit,& ſcriptus non fuerit.

11 De iuramento conſiliariorum.

Item quòd conſiliarij qui non iurauerint,iurare teneantur ad ſancta dei Euangelia tactis ſcripturis,& quilibet ipſorum per hæc uerba,Iuro ad ſancta dei Euangelia, quòd quandocunque audiuero ſemel campanam pro conſilio faciendo,uel ſtridatum fuerit in publico per præconem Curiæ , de

uenien-

ueniendo ad conſilium, aut mihi dictum fuerit quòd campana ſonata fuerit pro dicto conſilio, aut ſtridatum fuerit in publico per preconem, & ita eſſe credidero, ſtatim ibo ad locum conſilij quamuis non credam adhuc eſſe conſilium congregatum, niſi iuſtum impedimentum habuero, & de quo impedimento ſtudebo quam citius potero me expedire, & ad conſiliũ ire, & de ipſo conſilio non exibo niſi iuſtum impedimentum habuero, quo expedito ſtudioſus ero redire ad ipſum conſilium. In omnibus autem quæ dixero in eodem conſilio tam ſedendo quàm ſi ſurrexero ad loquendum ſuper his quæ tractabuntur pro conſilio, dicam honorem, & profectum Ill. Dominij Venetiarum, & ad ſaluationem ciuitatis Iadræ ſub ipſo Dominio Venetiarum ſine fraude, & de his quæ interrogatus fuero à Domino Comite partem illam capiam quæ mihi magis iuſta, & rationabilis apparebit ſi ero ſincerus, & omnes credentias quas ibi exiſtens intellexero eſſe dictas à Domino Comite, donec inde per Dominum Comitem fuero abſolutus obſeruabo, & non pandam, & in predictum conſilium non ibo niſi prius iurauero coram Domino Comite conſilium Iadræ ſecundum formam huius capitularis, & fidelitatem Dominij noſtri Venetiarum, & nullã partem uel pallotam capiam in dicto conſilio niſi ero uiginti annorum complectorum, & illa pars intelligatur capta, & firmata in ipſo conſilio in qua maior pars omnium hominum totius conſilij per numerum numerando declinauerit, & fuerit concors, & unius uoluntatis, ideſt illa pars in conſilio intelligatur eſſe uicta uel perdita intelligatur quæ capta uoluntate in una fuerit per maiorem partem omnium hominum conſilij tunc congregati Iurantium dictum Conſilium, & fidelitatem inclyti Dominij noſtri Venetiarum.

12 De pena appoſita conſiliarijs portantibus arma ad conſilium.

Item quòd nullus conſiliarius tempore quo fit, & cõgregatur conſilium, uadat ad ipſum conſilium cum cultello feritorio neque aliis armis offenſibilibus nec audeat, uel preſummat portare intra portam Curiæ palatii arma predicta nec in palatio predicto modo aliquo conſeruare, ſub pena uigintiquinque librarum paruorum pro quolibet contrafaciente applicanda communi Venetiarum.

13 Quòd Conſiliarii ſint uiginti annorum ad minus.

Item quòd deinceps qui non fuerit, uel non eſt ex conſiliariis conſilii, & qui non ſit ætatis annorum uiginti complectorum non poſſit capere partem uel pallottam in conſilio pena librarum uigintiquinque paruorum, pro condemnatione, & ſi quis non habens uiginti annos partem ceperit uel in aliqua ellectione reperiretur ipſa ellectio caſſetur, & ſit irrita, & nullius ualoris, & nihilominus predictus talis non habens uiginti annos ſoluat penam

librarum uigintiquinque paruorum.

14 Quòd Conſiliarii ſint in conſilio infra ſonum campanæ.

Item quòd omnes de conſilio teneātur uenire ad conſilium infra ſonum campane, & ante quam campana quæ pulſetur per tantam horam quanta vi debitur Domino Comiti, & ſi qui ex eis non uenerint ut dictum eſt ceſſante campana à pulſatione non poſſint neque permittantur intrare ad dictum conſilium.

15 Quòd nemo in conſilio dicat verba iniurioſa.

Item pro euitanda queque ſcandala, diſcordias, atque diſcenſiones quæ inter Conſiliarios, & nobiles ciuitatis Iadræ oriri poſſent, & quomodolibet ſuſcitari, quod de cetero exiſtēte congregato conſilio ciuitatis Iadræ, ullus de dicto conſilio non audeat uel preſummat dicere alicui alteri de conſilio aliqua uerba iniurioſa ſub pena librarum quinquaginta paruorum, pro quo libet contrafacienti, & qualibet uice ſoluenda communi Venetiarum, & ſi forte contigeret aliquem ex conſiliarijs predictis temerarie, & preſumptuo ſe contrafacere ordini ſupraſcripto, & ob eandem cauſam aliquis, ſeu aliquo ex conſiliariis predictis ſe leuarent, uel leuauerint, uel ſurrexerunt, à locis ſeu ſedibus ſuis, quicumque eo modo ſeu in dicto caſu ſurrexerit vnus uel plures cadant ad penam librarum uigintiquinque paruorum pro quolibet, & qualibet uice applicandam Communi Venetiarum, & Dominus Comes qui tunc ſe reperierit, teneatur, & debeat illas tales penas ante exitum ſui officij exigi facere à quibuſcunque contrafacientibus ut dictum eſt.

16 Quòd Conſiliarij ponant pallotas ſecrete in piſidem.

Item quodammodo in antea omnes qui ponent ſuas pallottas Conſilio debeant omnes ponere occulte, & ſecrete pallottas eaſdem in piſide quam uolent ſub pena decem ſoldorum paruorum pro quolibet contrafaciente, & qualibet uice, & ſimili modo in camera omnes teneantur ponere pallottas ſecrete ut ſupra ſub dicta pena, & cancellarius ſub debito ſactamenti teneatur omnes, & ſingulos contrafacientes accuſare, & debeat eſſe ellectioni & reſpicere.

17 Quòd admittantur ad conſilium illi quorum Auus paternus, & pater fuerunt de conſilio.

Item quòd illi quorum paternus Auus, & pater fuerūt de conſilio Iadræ-

recipiantur, & admittantur in dicto conſilio abſque obſeruantia alicuius ordinis uel ſtatuti ſed ſolummodo ſacramento preſtito per eum qui ingredi uoluerit in dicto Conſilio, cuius Auus paternus, & pater fuerunt de ipſo Conſilio, & habito quòd legitime ſint ætatis.

18 De modo tenendo cum quis peteret fieri de conſilio.

Item quòd quicunque per petitionem, ſiue per gratiam petierit fieri de conſilio, quòd nullo modo dicta petitio admittatur, niſi de conſenſu, & uoluntate duarum partium Conſilii ciuitatis Iadræ, prius tamen cum licentia ſemper Ill. Dominii Venetiarum, & conſilio Rectorum Iadræ, qui pro tempore fuerint.

19 Qui debuit egredi de conſilio propter parentellam.

Item quòd ſicut exiit foras pro parentella de conſilio pater pro filio, & filius pro patre: & germani conſanguinei, ita priuignus ſeu uitricus pro filiaſtro, & filiaſter pro uitrico, & talis ordo ſeruetur.

20 Quòd attinentes conſanguinitati non ſint ellectores.

Item quod ſicut inter nouem ellectores cuiuslibet ellectionis per rotulũ non poſſint eſſe aliqui, qui inter ſe pertineant in gradibus propinquitatis, ita de cetero ſimiliter non poſſint nec ualeant eſſe ellectores propinqui, qui ſe pertineant ad inuicem in gradu ſupradicto, in qualibet ellectione maioris numeri nouem ellectorum.

21 De uacatione officialium.

Item quod ſi quis extiterit in aliquo officio pro quo vacare debet per unam mudam ab alio officio immediate ſubſequenti, & creatus in ipſa muda ſequenti ad aliud officium, ipſum officium ad quod ellectus fuerit in ipſa ſequenti muda acceptauerit, ſoluat libras uiginti quinque paruorum, nomine penæ in Commune Venetiarum, & ad ſimilem pœnam teneri uolumus illos officiales ſi qui exeunt extra ciuitatem, & manent uiginti duobus diebus continuis, in quibus per laudabilem conſuetudinem Iadræ fieri debent extra officia ſua, ſi reuertentes inde tacite intrauerint in ipſum ſuum officium, & nihilominus predicti omnes intrantes, ultra dictas penas debent de officiis expelli.

22 De iuramento preſtando per officiales ad petitionem Domini Comitis.

Item quòd quilibet officialis, qui ellectus fuerit pro tempore ad aliquod officium teneatur, & debeat ad requiſitionem Domini Comitis infra tres dies poſtquam requiſitus fuerit à predicto Domino Comite facere pure, & fideliter ſacramentum de acceptatione ſui offitii, bene, & legaliter prout debet, quod ſi aliquis dictorum offitialium qui pro tempore ellectus fuerit negligens permanſerit, & non iurauerit in termino antedicto, eo tranſacto, ſit, & eſſe debeat extra illud offitium in quo ellectus fuerit, & pro eo, ad illud offitium alius per Dominum Comitem elligatur.

23 De eo qui ellectus fuerit ad aliquod offitium, & iurauerit, quòd uacet ab aliis.

Item quodāmodo in antea ullus officialis qui in aliquo offitio fuerit ellectus, & illud ſuum officium iurauerit, non poſſit elligi, uel eſſe in aliquo alio offirio, ſeu aliquod alium officium habere, donec compleuerit officium illud quod prius iurauerit.

24 Qui in camera nominauerit aliquem non obtinentem officium non nominetur ad idem officium ab illo.

Item quòd ſi aliquis ellectorum qui elligunt in camera officiales, nominauerit aliquem ſotiorum in aliquo officio, & non obtinuerit in eadem, ille talis nominatus nō poſſit, uel preſumat illum, qui eum nominauit in eodem officio poſtea nominare nec è conuerſo, & ſub pena quadraginta ſoldorum pro quolibet, & qualibet uice.

25 Quòd nullus ellectorum nominet aliquem elligendum.

Item quòd deinceps quicunque fuerit ellector in camera non audeat, vel preſummat nominare aliquem, neque memorari palam, uel occulte alicui, de aliquo, niſi ſolummodo ad ſuam uocem, & hoc ſub pena ſoldorum centum paruorum pro quolibet, & qualibet uice quam penam ſoluere teneatur effectualiter infra octo dies à die quo contrafecerit ſub pena priuationis officij, & conſilii Iadræ per unum annum.

26 Quòd debitor Communis omni officio ſit priuatus.

Item quòd quilibet nobilis Iadrēſis qui in aliquo eſſet debitor Commu-

nis Venetiarum non poſsit eligi in aliquo officio, niſi antea debitum ſoluerit, & ſi electus fuerit, talis electio nullius ſit ualoris, & loco talis debitoris electi, alius eligatur, ſiue ſubſtituatur per Dominum Comitem.

27 Quòd acceptans offitium, vel renuens, ſi extra illud ſteterit xxij. diebus ſit priuatus illo officio, & alijs offitijs.

Item quodámodo in antea aliquis officialis qui eſt, vel deinceps fuerit electus in aliquo offitio, & illud offitium acceptauit & iurauit, uel accepta uerit, ſeu iurauerit, & poſtea illud offitium refutauerit aliqua de cauſa, ſeu aliquo caſu, abſentia, uel infirmitatis ſteterit vltra terminum viginti duorum dierum extra dictum offitium, non poſsit eligi, uel eſſe modo aliquo in aliquo offitio per totum illud tempus, vel terminum quo ſtare debebat in offitio quod prius iuraſſet, uel acceptaſſet.

28 Quòd electus ad aliquod offitium, uacet per vnam mutam.

Item, quòd nullus offitialis, qui à modo in antea fuerit electus & confirmatus in aliquo offitio, finito ipſo offitio poſsit ſubſequenter eligi in eodem offitio, ſed uacare debeat per tantum tempus, quanto ſteterit in dicto offitio, in quo fuit electus.

29 De pœna acceptantis offitium primo durante.

Item, quòd quicunq; habet, uel habebit aliquod offitium durante tempore talis offitij ad aliquod aliud offitium eligi non poſsit, & ſi illud aliud offitium acceptauerit puniatur in libris decem paruorum, & eo offitio ſit priuatus toto tempore quo ſtare in dicto offitio deberet, nec poſsit habere aliquod aliud offitium durante tempore ſupradicto, & uacet ab illo offitio acceptato toto tempore ſequentis alterius muta.

30 Inſtrumenta perdita poſsint refici cum conſenſu, & licentia Domini Comitis.

Item, quòd ſi quis dixerit ſe amiſiſſe aliquod inſtrumentum, & requiſierit à Domino Comite ipſum inſtrumentum refici ſibi, ſecundum notam, ac videretur Domino Comiti ipſum inſtrumētum debere refici, quod ipſum refici non poſsit ſine uoluntate Domini Comitis, citata tamen parte alia, & dato intelligere parti contra quam ipſum inſtrumentum deberet refici, Saluo ſi præſcriptio triginta annorum eſſet incurſa quo caſu refici non debeat, ſi infra ipſum tempus non eſſet proclamata.

31 De contradictionibus incantuum terminandis.

Incantus uocabulum traxiſſe uidetur originem, eo quòd in modum incantus publice longo fiat tempore, ut ad notitiam ueniat quorumcunque, quicunq; vt ipſi incantui contradicere valeat, ſicut libet. Cum igitur alicui fuerit incantui contradictum per aliquem, ille cui eſt factus contradictus faciat citari pro die martis coram Domino Comite contradictorem, & actorem, ſeu illum pro cuius debito poſſeſsio incantatur, & facta huiuſmodi citatione legitime, dictus Dominus Comes teneatur & debeat ipſam quæſtionem ſummarie ſine termino, uel aliqua dilatione in continenti velociter terminare, & ſententiare.

32 De Gaſtaldione & præconibus Domini Comitis Iadræ, & eorum ſalario.

Item, quòd Dominus Comes qui nunc eſt, & pro temporibus fuerit habere, & eligere poſſit, & ualeat unum gaſtaldionem, & quattuor precones, ſeu plazarios, qui inſeruire habeant offitio ipſius Domini Comitis circa citationes præcepta, incantus, & alia quælibet, quæ pro dicto offitio neceſſaria fuerint & opportuna quorum quilibet habere debeat vnam domum à Comuni Venetiarum pro ſua habitatione abſque aliqua ſolutione affictus, & brachia octo panni latini, in quolibet feſto ſancti Marci, & quòd habeant pro eorum ſalario, à prefato Comuni Venetiarum omni menſe. videlicet dictus gaſtaldio libras quinque, ſoldos ſex, & paruulos octo, & dicti præcones libras duas, ſoldos treſdecim, & paruulos quattuor, pro quolibet eorũ omni menſe, & inſuper vtilitates & prerogatiuas ſolitas, & ſi prefato Domino Comiti uideretur, quòd ſuprascripti precones non ſufficerẽt ad ſeruitia dicti eorum offitij, ſit in arbitrio ipſi Domini Comitis alios eligere, & ſcribi facere, qui ſeruiant ſine ullo ſalario, & veſtibus eis dandis à Comuni Venetiarum. Verum habeant utilitates ſolitas pro eorum labore, & poſsit etiam idem Dominus Comes Iadræ offitiales omnes ſupradictos caſſare, & caſſari facere quandocunq; ipſi Domino Comiti videbitur.

33 Declaratio ſtatuti de maſaratico.

Item, quòd omne illud quod cõtinetur in ſtatuto quod loquitur de maſaratico quod incipit quia ſoiet à multis & finit, ſeu etiam comprehendi habeatur pro maſaratico, & nihil aliud excipiatur niſi ſolum illud, quod exceptuatur in dicto ſtatuto, & aliud nõ, & à rebus in dicto ſtatuto exceptuatis, omnia alia pro maſaratico habeantur.

34 De alimentis mulieris cuius maritus aufugerit.

Item cum queſtio ſit ſuper hoc, quòd ſi aliqua mulier maritata fuerit cum dote, ſiue cum parte, & maritus propter debita auſugerit utrun ipſi uxori à filijs talis hominis qui auſugerit & receſſerit debeat prouideri de center & ſufficienter ſecundum prouidentiã domini Comitis pro uictu, & ueſtitu de redditibus, fructibus, & prouentibus habitis, & perceptis, ex poſſeſsionibus talis viri fugitiui, aut de ipſis redditibus & prouentibus, debeat ſatisfieri creditoribus, & prouideatur, quòd uxori à filijs talis fugitiui, ſecundum prouidentiam Domini Comitis pro uictu, & ueſtitu de dictis redditibus, pro ut ſupra continetur.

35 De mutuante ad uſuras accuſando.

Item, quòd quicunque accuſauerit aliquem, ſeu aliquos dantem, vel dantes ad uſuras, & ſententiatum fuerit per Dominum Comitem illum commiſiſſe vſuras habere debeat quartum eius quod ſententiatum fuerit, & teneatur qui accuſauerit de credentia.

36 De donis dominarum.

Item, quòd omnia dona quæ recipit Domina in domo patris ſui ſint, & eſſe debeant ſua, tam propter conſuetudinẽ ciuitatis Iadræ, quàm propter dona quæ ipſa Domina fecit illis à quibus ipſa recepit dona, alia autem dona quæ ipſa recepit in domo ſoceri, & viri ſui ſint, & eſſe debeant ſoceri ſui, ſocrus, & ſucceſſorum ſuorum.

37 Quòd Laici poſsint decimas ad fictum recipere.

Item, quòd omnis reformatio prohibens Laicos ſe intromittere de accipiendo decimas ad fictum ſit omnino caſſa & irrita, & quilibet habeat libertatem accipiendi decimas ad fictum, & earum redditus emendi non obſtante aliquo in contrarium.

38 De porcis non tenendis in ciuitate & occidendis.

Item, quòd quelibet perſona habens aliquod aĩal porciuũ unũ, vel plura in ciuitate, debeat miſiſſe illa extra ciuitatem Iadræ, & ſi reperiretur aliquod animal porcinum per ciuitatem ire, quilibet poſsit ipſum occidere abſq; vlla pœna, ſeu banno, & ſi fuerit aliquis qui conqueſtus fuerit de aliquo animali ſuo porcino occiſo; vt dictum eſt, cadat in pœnam ſoldorum quadraginta paruorum, qua pœna ueniat in comune Venetiarum, exceptis animalibus porcinis ſancti Antonij, qui poſsint remanere & ſtare in ciuitate Iadræ, ut hactenus conſueuerunt.

39 De animalibus non tenendis in Ciuitate.

Item, quòd omnes habentes aliqua animalia in Ciuitate Iadræ exceptis animalibus quæ ſeruiantur pro beccaria, & exceptis equis & ſomerijs debeant prædicta animalia conduxiſſe extra ciuitatem Iadræ, nec aliquis audeat reducere, uel tenere aliqua ex dictis animalibus in Ciuite, nec aliqua alia, præter exceptuata ſuperius ſub pœna vnius ſoldi pro quolibet animali minuto, & groſsi unius pro quolibet porco, & quolibet animali groſſo, & qualibet uice totiens quotiens fuerit per aliquem contrafactum, & quilibet contrafacientem accuſare, & habere debeat medietatem dictæ pœnæ, & per eius accuſam ueritas fuerit reperta.

40 De non proijciendo in uijs fecta, & ſtratis mundandis omni Sabbato.

Item ad mundificandum, & de cetero ciuitatem Iadræ mundam tenendum & conſeruandum. Statuimus, quòd nemo proijciat in uijs & plateis ciuitatis Iadræ aliquas immunditias, & res turpes pœna ſoldorum quadraginta paruorum cuilibet contrafacienti pro qualibet uice, & quòd omnes & ſinguli teneantur & debeant mundare & ſcopare uias ante domum ſuæ habitationis quolibet die Sabbati pœna prædicta cuilibet contrafacienti, & qualibet uice.

41 Quòd nullus poſsit conſtruere extra ciuitatem Iadræ aliquod molendinum ab oleo ſine licentia Illuſtrisſimi Ducalis Do. Venet.

Item, quòd de cetero nullus ciuis, uel diſtrictualis Iadræ audeat, uel præſumat conſtruere, uel conſtrui facere extra ciuitatem Iadræ, tam in inſulis quàm in terra firma aliquod molendinum ab oleo, abſque licentia Illuſtriſſimi Dominij Venetiarũ ſub pœna librarum quinquaginta paruorum, pro quolibet contrafaciente applicanda Comuni Venetiarum & ſi fuerit accuſator habeat medietatem dictæ pœnæ, & nihilominus tale molendinum deſtruatur, & quòd nulla perſona Laica uadat ad molendinum ſuas oliuas ad aliquod molendinum alicuius perſonæ Eccleſiaſticæ extra Iadram ſub pœna centum ſoldorum paruorum, & quilibet poſsit contrafacientem accuſare, & quòd nullus ciuis, uel diſtrictualis Iadræ audeat portare ſuas oliuas ad molendinum extra ciuitatem Iadræ, ſub pœna librarum decem paruorum Comuni Venetiarum applicanda qualibet vice, & quilibet poſsit contrafacientem accuſare, & habeat medietatem pœnæ prædictæ.

42 De immunitate forenſium.

Item,

Item, quòd quicunque habitans extra diſtrictum Iadræ qui de cetero venerit ad habitandum in Iadra ſit, ac eſſe debeat exemptus ab omnibus factionibus tam perſonalibus, quàm realibus, uſq; ad annos quinq; proxime uenturos à die quo venerit Iadram computandos, ipſo non faciente domū in Iadra, uel non emente domum in Iadra, quòd ſi domum conſtrueret, vel conſtrui, uel ædificari faceret in Iadra, uel domū emeret, quòd eſſe debeat exemptus, vt ſupra per annos decē à die eius aduentus computandos, uerumtamen ille qui uenerit ad habitandum in Iadra modo prædicto teneatur, & debeat de præſenti ſe præſentare coram Domino Comite Iadræ, & facere ſe ſcribi in quaterno per cancellarium ſuum, uel per eius coadiutorem ac etiam accipere vnam cetulam immunitatis ſcriptam per ipſum Cancellarium, uel per eius coadiutorem prædictum, cum milleſimo, indictione, & die, qua ſe præſentauerit, & Dominus Comes qui pro tempore fuerit teneatur in cetula immunitatis prædictæ ſe ſubſcribere, & hoc ullo ſtatuto loquente in contrarium non obſtante, alter autem niſi ordo prædictus peruenientem, ut ſupra ſeruaretur, quòd immunitate prædicta donec ſcriptus fuerit, ut ſupra gaudere, ac potiri non debeat.

43 Quòd emptor caſei turmarum uendat uolentibus.

Item quòd quando turme ueniunt cum caſeo ad uendendū in platea & mercatores emūt illum caſeum, & aliqui ciues & habitatores Iadræ de illo caſeo uellent pro eorum uſu, mercator & emptor dicti caſei teneatur ei, vel eis de eo caſeo reuēdere eo pretio, quo ipſe mercator emerit ſi petierit ab eo antequàm caſeum portari fecerit extra plateam, & iurauerit ſe uelle pro ſuo uſu, & hoc ſuper pœna auferenda arbitrio Domini Comitis Iadræ.

44 Quòd fiat Iuſtitia Clericis, ut ſit Laicis in curiam Clericorum.

Item quòd in factis, ſeu negotijs Clericorum, ſeu Regularium perſonarum tam in ciuilibus, quàm in criminalibus Dominus Comes procedat hoc modo uidelicet, quòd antedictis perſonis illam rationē facere debeat quam ipſi, ſiue preſul eorum probabitur contra, & erga ipſas perſonas laicas exhibere non obſtantibus ſcripturis generis cuiuſcunque ſi quæ forent in contrarium huic ſcripto.

45 Quòd Dominus Comes conſeruet Monaſteria.

Item quòd Dominus Comes Iadræ teneatur toto poſſe manutenere & conſeruare oīa & ſingula Monaſteria, & Hoſpitalia Iadræ, ad hoc ut eorum iura & actiones in nullo poſſint minui, nec defraudari.

46 De operantibus Ceram.

Item, quòd nullus ſpeciarius, ſeu aliqua alia perſona uendens res pertinentes ad opus ceræ & ſpeciariæ à modo in antea audeat,uel præſumat facere,uel fieri facere papiros,ſeu ſtopinos dupleriorum ceræ, ſeu candellarum ceræ, niſi de puro,& mundo bombice,& quòd omnes candelle & omnia duppleria ſint,& eſſe debeant de pura,munda,& nitida cera,& eiuſdem ceræ mundæ tam intrinſecus,quàm extinſecus, & ſi qua perſona uendens, ut dictum eſt,reperta fuerit contrafacere, uel uendere, ſeu aliquam fraudem facere in prædictis ſoluat pro pœna pro quolibet, & qualibet uice libras quinque paruorum, cuius pœnæ medietas applicetur Communi Venetiarum, & alia medietas ſit accuſatoris legitimi, & quilibet poſſit accuſare, & teneatur de credentia, & inſuper talia dupleria, ſeu candelle falſificate contrafacte comburantur in platea Iadræ, & quilibet ſpeciarius, ſeu alia perſona faciens dupleria ad uendendum teneatur ponere ſignum ſuum in eis.

47 De Speciarijs.

Item,quòd quilibet Speciarius, ſeu perſona alia tenens artem & ſtalionem ſpeciariæ teneatur & debeat facere,& tenere omnes confectiones, ſpecies,& piperatam,& omnia alia aromata ad artem ſpeciariæ ſpectantiā puras & mundas,& pura,& munda,remota omni falſitate, & alia miſtura, & hoc ſub pœna librarum quinque paruorum pro quolibet contrafaciente, & qualibet uice contrafacta, & inſuper tales confectiones & res falſificate, & contrafacte in platea comburantur,& quilibet poſſit accuſare, & habeat medietatem condemnationis,& teneatur de credentia.

48 De tenentibus menſuras.

Item,quòd quilibet tenens menſuras, uel penſas à Comuni Venetiarum debeat accipere ſolutionem à qualibet perſona volente ponderare,uel mēſurare ſecundum ordinem dandum per Dominum Comitem Iadræ,& qui per tempora erunt,& hoc ſub pœna librarum quinq; paruorum pro quolibet,& qualibet uice contrafacta, ſoluēda per quemlibet contrafaciente Comuni Venetiarum & legitimus accuſator habeat medietatem.

49 De vendentibus ad brazolarium,& menſuras.

Item,quòd quælibet perſona uendens ad brazolarium, uel alias menſuras teneatur,& debeat tenere brazolarium,&quaslibet menſuras iuſtas ſecundum conſuetudinem Iadræ ſub pœna librarum quinq; paruorum pro

quolibet,& qualibet uice contrafacta Comuni Venetiarũ, & accuſatori applicanda pro dimidia,& quilibet poſſit accuſare, & teneatur de credentia.

50 De molendinarijs oliuarum.

Item quòd qualibet mulier,ſeu alia perſona molendinorum oliuarum permittere debeat quamlibet perſonam habentem, & macinantem oliuas, colligere oleum ſuum de tinacijs à mane uſq; ad horam cõpletorij ſub pœna quadraginta ſoldorum paruorũ,pro qualibet uice contrafacta,& quolibet contrafaciente Comuni Venetiarum, & legitimus accuſator habeat medietatem dictæ pœnæ.

51 De portantibus ad molendinum extra ciuitatem.

Item,quòd cum pro euidenti commodo ciuitatis Iadræ pateat euidenter,ut copia,& abundantia panis habeatur ad uẽdendum in ciuitate, & ne forenſes,& alij materiam habeant querellandi,& ut prædicta cõmode fieri poſsint,quòd liceat unicuique uolenti deferre frumentum ad molendum, & omne aliud genus bladi impune, uerum ſi aliquis dominus bladi deferens bladum ad molendum tempore quo per ipſum deferentẽ fieret reſtitutio farinæ ipſius bladi portati ad molendũ,querellam exponeret, ſeu faceret querimoniã ſibi nõ eſſe tantam reſtitutam farinã quanta fuit quantitas bladi,portati,quod oẽ id,quod ſuo ſacramento dixerit minus habuiſſe, uel minus reſtitutam fuiſſe farinã debito,talis portans dictum bladum ad molendum reddere domino bladi & reſtituere teneatur & compellatur.

52 Conducentes bladum forenſe poſſint extrahere medietatem cum licentia Domini Comitis.

Itẽ,quòd oẽs & ſinguli tam ciues,quã foreẽſes poſsint cõducere,& conduci facere in Iadrã per mare de extra diſtrictũ Iadræ oẽ bladum quod uolẽt, & demũ ſi de ipſa ciuitate extrahere uolent,uel eius diſtrictu aliquã quantitatẽ ipſius bladi ſic conducti, poſsint medietatẽ tantum extrahere & nõ ultra dum tamẽ dominus Comes Iadræ de tali blado licentiã conceſſerit.

53 De releuandis notis Notariorum preteritorum per Cancellarium domini Comitis.

Item,quòd note,ſiue abbreuiature Notariorũ qui fuerunt tẽporibus retroactis, & in futurum erunt in ciuitate Iadræ quæ breuiature reperirentur ſcripte cum illo verbo &c. uel ſine,Cancellarius domini Comitis Iadræ poſsit releuare, & poſſit etiam illas notas, & breuiaturas exten-

dere more, & conſuetudine Notarij defuncti talem notam & abreuiaturam ſcribentis, non mutata tamen ſubſtantia contractus in aliqua parte ſui.

54 De damnis datis cum animalibus, & quòd nemo incidat ligna in paſculo & buſco alieno, & pœna non dantis pignus.

Item, quòd quælibet perſona inuenta cum bouibus, uel alijs quibuſcunque animalibus, tam groſsis, quàm minutis, in alieno paſculo, & quandocunq; alia animalia inuenta fuerint in paſculo alieno ſoluere debeant pro quolibet animali groſſo denarios octo paruorum, & quolibet animali minuto quattuor paruos, patrono paſculi uice qualibet contrafacta, & de hoc ſtetur ſacramẽto Domini, ſeu uillani paſculi, ita tamẽ quòd pœna damni illati aſcendere non posſit ultra quantitatem ſoldorum decem vice qualibet. Item, quòd nemo audeat incidere ligna in alieno paſculo, ſiue buſco ſub pœna ſoldorum decem paruorum uicæ qualibet ſoluenda patrono buſchi, & de hoc etiam ſtetur ſacramento patroni, uel uillani buſchi, & quòd Dominus, ſeu inquilinus paſculi, uel buſchi accipere poſsit pignus à contrafaciente pro damno illato, ſi talis contrafaciens, vel accuſatus illud dare voluerit, & ſi pignus dare recuſauerit, tunc patronus, uel inquilinus paſculi, uel buſchi damnificati ſi uoluerit habeat recurſum ad Dominum Comitem Iadræ. Et hoc eidem denuntiare, & ſi repertum fuerit, quòd ille talis accuſatus, & denuntiatus pignus dare recuſauerit ſoluat duplum damni patrono damnificato, & de his credatur, & ſtetur ſacramento Domini, ſeu villani paſculi, uel buſchi, & ultra hoc ille talis accuſatus qui recuſauit pignus dare ſoluat pro pœna Comuni Venetiarum ſoldos quadraginta paruorum uice qualibet contrafacta, ſaluo ſi ille qui pignus recuſauit dare poterit legitime probare, quòd eius animalia ſuper ſuo terreno inuenta fuerunt, & non alieno, & ligna inciſa fuerunt in eius proprio territorio, & non in alieno, & tunc, & eo caſu ab omni pœna, & banno ſit abſolutus, & ſi probare non poterit, cadat ad pœnam ſuperius nominatam per modum antedictum.

55 Quod damna citra montem non dentur cum animalibus de quibus Dominus poteſt unum occidere & tenere.

Item, quòd nemo citra montem audeat, uel preſumat animalia bouina, pecudina, uel caprina tenere ad paſculandũ, uel ſinere paſculare, in aliqua terra laboratiua vinea, uel aliquo derg, apto, uel habili ad reparandum & releuandum alicuius perſonæ, & maxime oliuelis, & ſi quis in talibus locis

aliqua animalia reperiret de antedictis in ſuis territorijs predictis paſculare, uel damnificare illi tali ſit licitum impune vnum de dictis animalibus in ſuo terreno repertis capere, & interficere, ac ſi uoluerit in ſuum uſum retinere.

16 De animalibus certo tempore non tenendis in inſulis.

Item quòd à feſto Sancti Georgij de menſe Aprilis in antea aliquis Inſulanus, uel aliqua alia perſona in aliquibus Inſulis Iadræ qui, uel quæ non habent ſuum proprium terrenum, uel non habentes partem cum alijs conuicinis in dictis inſulis ullo modo, vel ingenio non audeat uel preſummat tenere, vel ſinere paſculare in ipſis paſculis aliqua ſua propria animalia, ſub pœna librarum uigintiquinque paruorum pro qualibet uice contrafacta, & quòd ſi quis ad præſens habet aliqua ſua animalia in territorio alieno, & non ſuo, ipſa animalia teneatur extrahere, & remouere uſque ad dictum feſtum Sancti Georgij proxime futurum, quòd ſi ea non extraxerit uſque ad dictum feſtum ſiue terminum, & de ipſis aliquod damnum ſibi euenerit, illud ſibi imputare debeat abſque eo quòd de eis aliquod ius ſibi reddatur, & nihilominus pena ſoluta, uel non, poſt dictum terminum teneatur extrahere, & remouere de preſenti ſub pœna antedicta qualibet uice contrafacta, & hoc non intelligatur de bobus ad laborandum, & ſalmerijs qui eos bene tenere poſſint in inſulis, item quòd quilibet inſulanus qui habet territorium cum alijs conuicinis in aliquibus inſulis, in ipſo territorio tenere poſſit quinque animalia pro quolibet gognali, & non ultra, ſub pœna librarum decem paruorum applicanda Communi Venetiarum, quotiens fuerit contrafactum, & predicta non intelligantur de bobus, & ſalmeriis, ſed cuilibet licitum ſit tenere boues pro arando, & ſalmerios pro ut ſupra. Item quòd quilibet Inſulanus, ſeu villanus qui in Inſula ſedet ſuper territorium alicuius ciuis Iadræ, ſi de uoluntate Domini, & patroni proceſſerit poſſit tenere, & paſculare ſuper territorio dicti Domini uſque ad quantitatem uigintiquinque animalium pro uſu ipſius Villani, & non vltra, ſub dicta pena, Item quòd omnes, & ſinguli Inſulani: habentes, & tenentes in Inſulis Iadræ animalia aliena, a modo in antea, ſi recedere uoluerit, & amplius tenere noluerint aliqua animalia alicuius ciuis Iadræ poſſint accipere a Domino licentiam recedendi, in præſentia fide dignorum teſtium uſque ad feſtum natiuitatis Domini proxime futurum, & ſi licentiam non acceperit uſque ad dictum terminum recedendi, non poſſit poſtea recedere in toto anno ſequenti, & hoc ſub pena librarum decem paruorum applicando Communi, & hoc idem teneatur Dominus animalium obſeruare ſub dicta pena Communi Venetiarum, & pœna ſoluta uel non teneatur obſeruare predicta.

57 De capris, & ircis non tenendis à monte infra.

Item quòd nemo audeat, vel preſummat tenere, vel ſinere paſculare à monte infra aliquod animal caprinum, vel ircinum pena ſoldorum uiginti paruorum, cuius penæ medietas ſit Communis Venetiarum, & alia accuſatoris, & nihilominus patronus ſeu paſtor animalis ſoluat damnum patrono damnificato, & illud, idem intelligatur de damnis illatis in terris aptis, & habilitus ad paſtinandum, & paſtinatis, & arboribus oliuarum, & in terris laboratiuis a blado pro ut eſt dictum de vineis.

58 De damnis datis cum animalibus paruis.

Item quòd quicunque inuentus fuerit paſculare cum animalibus minutis videlicet, pecudibus, agnis, caſtratos, aut arietibus in vinea alicuius, ſoluat Communi Venetiarum pro banno ſoldos duos paruorum pro quolibet animali, & nihilominus dominus vinee, occidere poſſit vnum de dictis animalibus inuentis quod occiſori remaneat, & patronus, ſeu cuſtos dictorum animalium ſoluere teneatut domino vineæ damnum illatum in vinea, vel arboribus fructiferis, & quòd accuſator habeat medietatem banni.

59 De capris, & ircis damnum dantibus à monte infra.

Item quòd nemo audeat, vel preſummat tenere, uel paſculare à monte infra aliquod animal caprinum, vel ircinum ſub pena ſoldorum uiginti paruorum pro quolibet capite, cuius penæ medietas ſit Communis Venetiarũ, & alia accuſatoris, & nihilominus patronus ſeu paſtor animalis ſoluat damnum patrono damnificato, & illud idem intelligatur de damnis illatis in terris aptis, & habilibus ad paſtinandum, vel paſtinandis, & paſtinatis, & arboribus oliuarum, & in terris laboratiuis a blado pro ut dictum eſt de vineis.

60 De pena animalium groſſorum, damnum dantium.

Item quòd quicunque inuentus fuerit paſculare, vel habere in aliquibus vineis, ſeu terris in quibus, ſunt arbores oliuarum paſtinati, uel in terris laboratorijs a blado equos, uel animalia bouina, aut ſalmerios, ſoluat pro bãno ſoldos decem paruorum pro quolibet animali, & reſſiciat damnum patrono terræ, uel uineæ, & arborum, Cuius penæ medietas ſit Communis Venetiarum, & alia medietas accuſatoris, & predicta non intelligantur de forenſibus uerumtamen ſi damnum atullerint damnum emendent patrono.

61 De arboribus fructiferis non incidendis.

Item quòd nulla perſona audeat, uel preſummat incidere aliquam arborem, uel ramum oliuarum uiridem, uel aridum,nec aliquam aliam arborē uel ramum fructiferum in ſuo terreno,uel alieno,ſine ſitu,& licentia Domini Comitis, ſub pena uigintiquinque librarum paruorum uice qualibet, cuius penæ medietas ſit communis Venetiarum,& alia accuſatoris,& inſuper reſſiciat damnum patrono.

62 De facto popaſſuum, & damnis datis in inſulis.

Item quòd ſuper facto popaſſuum, & damnorum quæ inferuntur in inſulis Iadræ quòd quelibet perſona quæ ſuper territorio ſuo inuenerit aliqua animalia minuta, facientia damnum uice qualibet qua inuenerit,poſſit capere,& occidere unum de ipſis animalibus, & in ſuū uſum retinere,& facere ſuæ libitum uoluntatis, & nihilominus ille cuius fuerunt dicta animalia reperta damnificare debeat ſoluere patrono territorij extimationem totius damni, & inſuper ſoluat Communi Venetiarum, pro banno ſolidos quadraginta paruorum uice qualibet, & minus inſpecta qualitate. Si uero fuerint animalia groſſa inuenta in aliquo terreno facere damnum quòd patronus talium animalium ſoluat pro quolibet animali groſſo quinque ſoldorum paruorum,& extimationem damni patrono territorii, & ultra hoc ſoluat ſoldos quadraginta paruorum Communi Venet. pro qualibet uice, & quòd ſi aliqua perſona inuenta fuerit facere damnum in terreno,uel fructibus alicuius reſſiciat damnum patrono territorii ſecundum quod fuerit extimatum,& ſoluat Communi Venet. libras quinque paruorum pro qualibet uice,& accuſationi patroni territorii, uel eius nuntii fact. contra talem perſonam,credatur cum ſacramento.

63 De paſtinatoribus,& laboreriis per eos fiendis.

Item quod quilibet paſtinator ſeu paſtinarius ſucceſſor quouis titulo, uel iure,& etiam quilibet laborator debet, & tenetur uineam quam tenet ad terraticum uel ad fictum ſingulis annis primo cerpire,deinde bis totam laborare, prima uice antequam uinea producat folia ante feſtum Sancti Georgij de menſe Aprilis, & ſecunda calendis maij uſque ad feſtum Sancti Petri de menſe Iunij, & qui contrafecerit cadat in penam contentam in ſtatuto ſub titulo de iure emphiteotico capitulo ſi aliquis accepit terram ad paſtinandum &c.

64 Dominus terratici uineæ conſtituit cuſtodem uineæ.

Item quod dominus terratici uineæ ſeu patronns habeat conſtituere ſeu confirmare cuſtodem uineæ quam aliquis paſtinauerit ſuper eius terreno.

65 Dominus Villani poteſt pro debito ei per Villanum accipere de bonis Villani &c.

Item quòd Dominus poteſt accipere tenutam a Villano olim ſuo de rebus mutuatis, Villano exiſtenti ſuper terram ſuam donec Villanus habet bladum in terra ipſius, olim Domini ſui, & in omni caſu quo, dixerit Dominus Villanum ſibi teneri.

66 De conducentibus Domos ad affictum.

Item quòd quicunque conduxerit domum aliquam ad affictum ab aliquo finito tempore teneatur domino reasſignare domum, & claues, & de affictu debito ſatisfacere, quòd ſi predicta non obſeruauerit teneatur eidē Domino ſatisfacere de affictu preteriti temporis finiti, & tanto pluri tempore quanto ceſſabit reasſignare eidem Domino domum, & claues, etiam ſi exiſſet de dicta domo, & nihilominus domum, & claues ipſi Domino debeat conſignare.

67 De conuentione non facienda ſuper aliquo incantu datiorum Communis Venetiarum.

Item quòd non ſint aliqui qui audeant uel preſummant compoſitionem aliquam uel conuentionem inter ſe facere in damnum Communis Venetiarum de offerendo vel non offerendo alicui incantui datiorū Cōmunis Venetiarū nec quòd facta deliberatione alicuius incantus, & datii, Poſtea incantus ſeu datium huiuſmodi inter illos incantetur uel aliqua ſimilis fraus fiat ſub pena librarum ducentarum paruorum pro quolibet contrafaciente, & quilibet posſit accuſare, & habeat accuſator medietatem dictæ penæ, & alia ſit Communis Venetiarum, & quòd Domini Rectores Iadræ, poſtquam ad eorum aures peruenerit per accuſam, uel alio quouis modo, quòd aliqui modo aliquo fecerint contra predicta redundantia ad damnū Communis Venetiarum, in aliquo incantu debeant ueritatem ſuperinde inquirere, & contrafacientes huiuſmodi condemnare in arrengo ad dictas penas infra menſem.

68 Si poſſesſio alicuius incluſa eſſet intra confines rei uenditæ ad incantum illi non preiudicet.

Item firmatum eſt quod ſi quis in preterito emit aut in futuro emet aliquam poſſesſionem unam uel plures per breuiarium incantus, in quarum confinibus per termina aliqua alicuius terra, uinea, prata, nemora, ſalinæ, vel

vel aliqua alia poſſeſsio incluſa fuiſſet in ipſo breuiario incantus, quòd talis emptio non preiudicet, nec preiudicare poſsit per illud breuiarium incantus illi, uel illis, qui haberent, tenerent, & poſsiderent, ſeu aliquis alius pro eo teneret, poſsideret talem terram, uineam, prata, nemora, ſalinas, domos, uel poſſeſsiones aliquas intra dictos confines, ſi de hoc probationem legitimam fecerit quin ipſam rem ualeat poſsidere.

69 Quid habet facere contradicens incantui.

Item firmatum fuit, quod quicunq; fecerit contradictum aliquem incantus alicui' de re aliqua mobili, uel immobili quocunq; modo uel cauſa ille cui factus eſt huiuſmodi contradictus faciat citari, pro die martis coram domino Comite contradictorem, & debitorem, ſeu illum pro cuius debito poſſeſsio incantatur, & facta huiuſmodi citatione legitima Dominus Comes teneatur, & debeat ipſam quæſtionem ſummarie ſine diſtricta, monſtra, uel termino, uel aliqua dilatione incontinenti, & uelociter terminare & ſententiare.

70 Quod poſſeſsio incantata non deliberet filiofamilias.

Item, quod nullo modo poſsit deliberari aliqua poſſeſsio, uel res aliqua ad incantum alicui filiofamilias poſito ſub dominio patris, uel matris, ſiue patris, vel matris expreſſa licentia, & conſenſu, qui, uel quæ ſi conſentient teneatur ipſe pater, uel mater portare & ſubſtinere omne onus huiuſmodi deliberationis.

71 Quod eccleſiaſticæ perſonæ nō deliberent res aliquas ſine plegiaria.

Item, quod nulla perſona debeat aliquam poſſeſsionem deliberari facere, uel rem aliquam ad incantum alicui clerico, uel eccleſiaſticæ perſonæ, quæ non ſit de iuriſdictione temporali, niſi talis clericus, uel religioſa perſona dare uelit idoneam plegiariam hominem ſubiectum eidem temporali iuriſdictioni, qui plegius teneatur ſubſtinere & portare omne onus huiuſmodi deliberationis, & fideiuſsione tali præſtita & data, ut eſt dictum poſsit talibus eccleſiaſticis perſonis fieri deliberatio incantus.

72 Præſentatio, ſeu notificatio breuiarij, fiat per publicum inſtrumentum.

Item, quod præſentatio breuiarij, ſeu eius notificatio alicuius incantus ad declarationē ſtatuti incipiētis auaritiæ cecitatē &c. fienda emptori, ut in pœnas in dicto ſtatuto contentas potuerit incurriſſe, aut poſsit incurre-

re,niſi ſoluerit,quod tenetur fieri debeat per publicum inſtrumentum con ficiendum per cancellarium domini Comitis.

73 Male contradicens ſoluat Comuni Venetiarum duos ſolidos pro libra.

Item quoniam iuridicum eſt & bene conſonum rationibus, quòd quilibet habeat quod eſt ſuum,& nemo in ſuo iure poſsit decipi, nec fraudari, ordinamus ac inuiolabiliter decreuimus ſtatuendum, quòd quicunq; ſecerit aliquem contradictum incantus alicuius poſſeſsionis,uel alterius rei, quocunque modo contradixerit contra illum, uel illos qui faciunt poſſeſſionem aliquam,uel rem incantari, & talis contradictor non habeat ius, & indiſcuſsione cauſe reperiretur perperam, & contra Iuſtitiam cõtradixiſſe incantui, uel alio modo quocunque,uel colore, quòd ipſe contradictor qui huiuſmodi cauſam ammittit ſoluat, & ſoluere debeat Comuni Venetiarum nomine pœnæ incontinenti facta diſcuſsione cauſæ ſoldos duos per libram quamlibet de quacunque ſumma fuerit quæſtio uentillata, quam pœnam dominus Comes ſine dilatione aliqua ſolui pro comuni, & exigi facere teneatur.

74 Nemo deſiſtat à contradicto,& deſiſtens ſoluat pœnam.

Item cum in quodam ſtatuto ſiue reformatione ſtatuti contineatur ſuper contradictis,quòd quicunque contradixerit,& reperietur male contra dixiſſe,ſoluat pœnam in diſcuſsione cauſæ, & uideatur ibi error ſiue defectus in ſcriptura,cunque plures contradicentes, & placitantes cauſas contradictuum iuxta deciſionem cauſæ deſiſtant, & ſe abiciunt, & detrahunt à contradicta in fraudem Comunis Venetiarum,& diſpendium partis, & ita id ſtatutum tunc nullum ſortitur effectum, quòd eſt contra intentionẽ illius ſtatuti. Ideo firmatum fuit,quòd quicunque contradixerit incantui poſtquàm contradictus ſcriptus fuerit deſiſtere non poſsit, & ſi deſiſteret, uel ſe occultauerit, aut abdicabit à contradictu ſoluat pœnam, ac ſi cauſam ammiſiſſet.

75 De confinibus rei incantandæ guarentandis, & de confinatoribus fraudulentibus.

Item,quòd ſi aliqua perſona aliquam poſſeſsionem fecerit incantari,ſeu facere uoluerit incantari cum opporteat ſecundum formam ſtatuti Iadræ requiri per conſiliarium Domini Comitis,conuicinos cõfines poſſeſsionis incantandæ,ſi ipſi conuicini, ſeu ipſorum aliquis,uel aliqui doloſe, uel alio quouis modo ſe ſubtraherẽt ſuper ipſis confinibus perhibere teſtimonium

ueritatis,ipſa confinia occultando,teneatur & debeat dominus Comes ad omnem requiſitionem eius, uel eorum, ad cuius, uel quorum petitionem ipſa poſſesſio, incantatur tales uicinos citari facere, & coram ſua preſentia conuocari,eiſdem ſic citatis quinq; dierum terminum aſsignando,ſeu prefigendo,quòd teſtificari debeant, ſi ab ea parte poſsident, ſeu poſsidet, ex qua incantus cetula ſcribitur, ſeu ſcribuntur poſsidere nec ne, alioquin ſi comparere neglexerit,uel neglexerint, ſeu doloſe occultauerit ueritatem, quinq; dierum termino per completo procedatur in ipſo incantu,atque de liberetur,ut moris eſt ipſa poſſesſio incantata,ac ſi comparuiſſent & perhibuiſſent teſtimoniũ ueritati,contumatia,ſeu fraude talium nõ obſtante.

76 Si confinator non eſſet in diſtrictu Iadræ,quis modus tenetur.

Item, quòd ſi aliqua poſſesſio,domus,terra,uinea,uel aliquod aliud bonum ſtabile incantabitur ſecundum conſuetudinẽ,& ſtatuta Iadræ & contingerit aliquem ex confinatoribus nominatis in cetula illius talis incantus eſſe in diſtrictu Iadræ, tunc ſeu in dicto caſu conſiliarius domini Comitis cui commiſſa fuerit guarentatio incantus predicti,citari facere debeat illum talem confinatorem, quòd infra dies quinq; cõparere debeat ad guarentandum confinia ſupradicta,& ſi ille talis confinator comparuerit infra dictum terminum & guarentauerit confinium bene quidem,& ſi ipſe comparens infra dictum terminum guarentare noluerit dubitans ſuam talem guarentationẽ fore in ipſius præiuditium,tunc D.Comes infra tertiã diem diffinire debeat, & terminare ſuper his,ut ſibi uidebitur fore iuſtum. Verum ſi ille talis confinator uenire,& comparere neglexerit, tunc illud confinium habeat pro guarentato,& ſi ille talis confinator fuerit extra diſtrictum Iadræ,tunc dominus Comes eum ſtridari facere debeat publice, & alta uoce ſuper platea Iadræ,quòd infra quindecim dies debeat comparere per ſe,uel procuratorem ſuum legitimum ad guarentandum confinium ſupradictum, & ſi per ſe,uel ſuum legitimum procuratorem comparuerit infra dictum terminum,& dictum guarentabit confinium bene quidem.Si uero non comparuerit per ſe,uel ſuum procuratorem,nec dictum guarentauerit confinium infra dictum terminum, tunc illud tale confinium pro guarentato ſimiliter habeatur.Sed ſi de hac tali guarentatione ille talis confinator ſenſerit ſe grauatum,poſsit infra ſpatiũ menſium ſex poſtquàm Iadræ uenerit uti Iuribus ſuis contra uenditorem dictæ poſſesſionis uenditæ ad incantum, nec deliberatio dicti incantus poſsit, vel debeat eidem confinatori preiuditium aliquod generare, quin uenditorem infra terminum ſupradictum,& ſupradicte citationes,& ſtride guarentari debeant Cancellario domini Comitis,& per ipſum regiſtrari,& ſcribi in actis cancellariæ.

77 De cauſis diuiſionum bonorum expediendis.

Item, quòd Dominus Comes Iadræ teneatur,& debeat expedire, terminare,& diffinire ſummarie omnes & ſingulas cauſas & quæſtiones,ſeu petitiones ſuper diuiſione alicuius poſſeſsionis quæ, inter quaſcunque perſonas cuiuſcunq; conditionis,uel ſexus indiuiſa maneret,atque conſiſteret, quòdq; ſi aliqua perſona ex conſortibus poſſeſsionis prędictæ, uellet opponere,ſeu contradicere diuiſioni prędictæ allegando,quòd talis poſſeſsio diuidi non debet, intelligatur, & audiatur benigne, & attente, ipſamq; ſine dilatione aliqua, aliquibus ſtatutis,uel Reformationibus non obſtantibus per ſententiam terminet,& ſi aliqua apparuerit perſona quæ opponat datis partitoribus per dominum Comitem aliquid circa res diuidendas,ſeu circa inter quas agetur,uel tractabitur de diuiſione rerũ tam mobiliũ, quàm ĩmobilium,quòd prefatus dominus Comes ſit, ac eſſe debeat Iudex inter partes prædictas,& dictas cauſas examinare,ac ĩfra vnũ mẽſem a tẽpore oppoſitæ contradictionis debite terminare prout eidẽ uidebitur conuenire.

78 De cauſis inter uiandantes,forenſes,& Iadrenſes omni tempore terminandis.

Item,quòd dominus Comes ciuitatis Iadræ posſit,& debeat cognoſcere ſummarie ſine figura,& ſtrepitu iuditij,ferijs nullis obſtantibus,de omnibus quæſtionibus rerum mobilium forenſium uiandantium uertẽtibus, ſeu quæ de cetero uerti poſſent inter aliquos Iadrenſes, & ipſos uiandantes,uel èconuerſo,uel etiam de controuerſijs quæ orirentur inter forenſes & forenſes uiandantes,ut ſupra,non obſtante aliquo ſtatuto in contrarium loquente,dum tamen in ipſis litibus obſeruentur ſtatuta Iadræ circa deciſionem litium prædictarum.

79 De iuramento præſtando iuxta petitionem actoris ultra libras quinquaginta paruorum.

Item, quòd ſi aliqua quæſtio deinceps fuerit a quinquaginta libris inferius coram domino Comite inter Iadertinum,& Iadertinũ,& de ipſa quæſtione fieri debuerit aliquod ſacramentum, detur illud ſacramentum ſecundum quòd ipſi domino Comiti placuerit, & ſi quæſtio fuerit a quinquaginta libris ſuperius,& requiſitum fuerit per partes, quòd ſacramentum illud fieri deberet ſuper teſtum Euangelij,altare,& crucibus, tunc fiat illud ſacramentum ſecundum quod petitum fuerit apte.

80 De poteſtate & arbitrio domini Comitis in maleficijs.

Item prouidimus ordinandum quòd Dominus Comes Iadræ, qui pro tempore erit habeat plenariam poteſtatem, & libertatem per inquiſitionẽ ſeu accuſationem, ſeu per denuntiationem procedendi ſuper quibuſcunque maleficijs, & delictis, quomodocunque, & qualitercunque committerentur in ciuitate Iadræ, & eius diſtrictu ſummarie, & de plano ſine ſtrepitu, & figura iudicij, omni ordine iuris pretermiſſo, & delinquentes punire, & condemnare ſecundum eius bonam conſcientiam inſpecta qualitate delicti, & perſonarum conditione, prout ei Comiti uidebitur conuenire.

81 A ſententia criminali non poteſt appellari lata per Dominum Comitem, a ciuili poteſt infra decem dies, ab interlocutoria non.

Item quòd ab aliquo actu ſiue ſententia criminali quomodocunque quæ per Dominum Comitem prolata fuerit a nemine liceat appellare, nec non ab aliquo actu ſiue pronuntiatione, ſiue interlocutoria facto, ſiue facta, per Dominum Comitem in aliqua queſtione ciuili quomodolibet valeat ab aliquo appellari, preterquam a ſententia diffinitiua per ipſum Dominum Comitẽ, prolata ſuper aliqua queſtione ciuili, a qua uolumus ſentientem ſe grauatum poſſe appellare ordine infraſcripto, videlicet, quòd infra decem dies continuos à die illati grauaminis in ſcriptis posſit ſe appellare Venetijs, prouidentes quòd tempore productionis dicti libelli appellationis, pars appellans teneatur, idoneam plegiariam dare de ſoluendo Communi Venetiarũ duos ſoldos pro libra qualibet quantitate queſtionis appellatæ, ſeu ualoris ipſius, & ſi ſubcumberet in cauſa appellationis predictæ, & ſi aliter fieret per appellantem habeatur ac ſi non eſſet appellatum, & tunc ſententia executioni demandetur.

82 Qui ſemel appellauit, & determinatũ eſt, nõ posſit amplius appellare.

Item prouidimus ordinandum, quòd poſtquam ſemel fuerit appellatum ab aliquo grauamine, & fuerit talis appellatio per conſilium uel collegium Communis Venetiarum terminata quòd de cetero non posſit ulterius ſe appellari aliquo modo, ab eodem grauamine, & ab eo quod ſecutum eſſet ex eo.

83 Bona mobilia morientis ab inteſtato ſcribantur.

Item quòd ſi aliqua perſona acceſſerit a Dominum Comitem, & oſtenderit ſe habere aliquod ius in rebus ſiue bonis alicuius morientis ab inteſtato, dictus Dominus Comes teneatur, & debeat ad petitionem petentis facere ſcribi bona mobilia ipſius morientis, ne per detentores valeãt alienari.

84 De preſentatione pignerum perſonarum abſentium.

Item quòd ſi aliquis forenſis uiſidans pignerauerit rem aliquam, ſeu pro pignere dederit alicui perſonæ tam ciuiquã habitatori ciuitatis Iadræ, ſeu etiam forenſi,pro aliqua pecuniæ quantitate,& ille talis dator pigneris, pignus ipſum non luerit vſque ad terminum inter partes conuentum, & ille cui pignus datum fuerit venerit ad Dominum Comitem Iadræ ſuper hoc iuſtitiam petiturus, Dominus Comes habito reſpectu ad locum vbi dictus dator pigneris, ſeu debitor eſſe diceretur, ad petitionem habentis pignus poſſit facere proclamari publice, & alta uoce in platea magna Iadræ, quòd illa talis perſona pignus ipſum ſuum redimiſſe debeat uſq; ad terminũ per ipſum Dominũ Comitem aſſignãdũ,& quòd ſi Dominus pigneris ipſum pignus non redimerit infra terminũ proclamationis factæ liceat ipſi habẽti pignus ipſum facere uendi,ſecundum ordines.Iadræ publicũ ad incantum,& prædicta etiam uendicent ſibi locum ubi nulla foret conuẽtio inter partes, & idem in omnibus,& per omni intelligatur,& locum ſibi uendicet inter ciues Iadræ qui de ciuitate Iadræ aufugerint, uel ſe quomodolibet occultauerint, ſic tamen ſi ciuis Iadræ Domicilium habuerit proclamatio fiat ante domum eiuſdem de preſentatione pigneris per ipſum ciue redimẽdi ad terminum per Dominum Comitem aſſignandum.

85 Quicunque fuerit Aduocatus in una cauſa, non ſit iudex in ea.

Item quòd quicunque fuerit Aduocatus, vel procurator alicuius in aliqua queſtione vel cauſa ciuili magna,vel parua,ille talis aduocatus, uel procurator nullo modo poſſit eſſe iudex in queſtione.

86 Contradicti legantur die martis.

Item quòd qualibet die martis legantur ſolummodo conttadicti,& male contradicens ſoluat duos ſoldos pro libra communi Venetiarum valoris rei de qua agitur.

87 De pena per Dominum Comitem imponenda perſonis coram eo litigantibus qui aliqua uerba in honeſta prorumperent.

Item quòd ad euitandum omnem ſcandali materiam quæ ſolet ſepæ inter litigantes oriri, Dominus Comes poſſit quibuslibet litigantibus coram eo,ac etiam quibuſcunque aſtantibus qui aliqua uerba inhoneſta prorũperent tã contra honorem ſui officij quàm contra quamlibet aliam perſonam aſtanté,vel litigantem imponere penam,& penas uſque ad quantitatem nulle librarum paruorum, & abinde infra habita conſideratione perſonarum, & facti qualitate,quas penas poni facere debeat in ſcriptis per cancellarium ſuum,& Dominus Comes teneatur à contrafacientibus quibuſcunque di-

ctas penas exigere cum effectu, de quibus nulla poſſit fieri remiſſio, ac ſi publicate forent in arrengo publico.

88 De citatione forenſium ciuis contumacis.

Item quòd quicunque forenſis ſiue ciuis Iadræ qui eſt in contumatia ciuitatis Iadræ per quam non poſſit nec audeat venire ad ipſam ciuitatem Iadræ, & quicunque alius ciuis Iadræ, & diſtrictualis eius eſt, ſeu fuerit legitime citatus per litteras ad petitionem alicuius ciuis ſeu habitatoris Iadræ, Coram Domino Comite Iadræ, quòd ueniat reſponſurus ſuo creditori ſuper aliqua re ſtabili ſeu poſſesſione, poſita in ciuitate, uel diſtrictu Iadræ, & non comparuerit per ſe, uel legitimum procuratorem in termino ſibi ſtatuto. Tunc ſtridetur ad domum ſuæ habitationis, & ſi non habuerit domum in Iadra, in platea Iadræ ſtridetur, Elapſo uero dicto termino, ſi debitor non comparuerit per ſe, uel legitimum procuratorem. Tunc Dominus Comes procedat ad diffinitiuam ſententiam, prout ſibi melius uidebitur fore conſonum rationi, eius abſentia non obſtante.

89 De citatione occultantium.

Super modo, & forma citationis perſonarum in Iadra, vel eius diſtrictu doloſe, & fraudolenter ſe occultantium ratione alicuius obligationis, uel debiti, quòd quicunque uoluerit aliquem facere citari ſic ſe occultantem ſuper quacunque debiti obligatione, uel re, venire debeat ad Domini Comitis preſentiam ſuum expoſiturus negotium, & tunc ſi Domino Comiti uidebitur quod fuit expoſitum fore iuſtum, atque conſtet ei, quòd illa perſona contra quam petitur ſe malitioſe occultet, citetur primo per preconem ad domum ſuæ habitationis, & ſi ſic citatus non comparuerit per ſe, uel legitimum procuratorem, tũc prout, & quãdo Domino Comiti videbitur fore rationabile, atque iuſtum ſtridari debeat de ipſius Domini Comitis mandato per preconem ante hoſtium ſuæ habitationis in Iadra, ſiue in ipſius conuicinio asſignando eidem terminum prout antedicto Domino Comiti uidebitur expedire, quòd comparere debeat infra terminum ſibi taliter asſignatum per ſe, uel legitimun procuratorem actori de iuſtitiæ reſponſurus, & ſi comparuerit bene quidem, alias contra ipſum, & bona ſua procedatur, prout ſi perſonaliter fuiſſet citatus, ſui contumacia ſeu doloſa abſentia non obſtante.

90 De cauſis teſtamentorum expediendis.

Itẽ quòd Dominus Comes teneatur, & debeat audire omnes queſtiones & cauſas de quibuſcunq; legatis ſeu dimiſſorijs per teſtamentum, uel per

ultimam uoluntatem hactenus factis,uel in poſterum fiendis tam de rebus mobilibus,& ſe mouentibus,quàm de immobilibus ſeu ſtabilibus, quibuſcunque ac ipſas cauſas,ſeu queſtiones expedire ac ſummarie terminare,atque per ſententiam diffinire, non obſtantibus aliquibus reformationibus, vel ſtatutis prolixitatem,vel dilationem facientibus in predictis.

91 Sufficiat unica monſtra ſuper ſtabili.

Item quòd ſuper quacunque re ſtabili, uel mobili ſufficiat unica mõſtra petitæ poſſesſionis,ſeu desſignationis, ſeu desſignatio oculata hactenus facta, vel ſemel in poſterum facienda donec controuerſia, uel quomodo ipſius rei fuerit per ſententiam terminata, dummodo de ea monſtra reperiatur ſcriptura in actis Domini Comitis,ut moris eſt, ſcribenda, non obſtantibus aliquibus ſtatutis loquentibus in contrarium ſuper monſtris.

92 Sententiæ a decem libris ſupra,ſcribantur,aliæ uerbis proferantur.

Item quodammodo in antea Dominus Comes teneatur omnes eius ſententias diffinitiuas aſcendentes à libris decem ſupra ſcribi facere in actis ſui officij,& eas pronunciare in ſcriptis,& nihilominus quæ non eſſent pronunciate per dictum modum, ipſo iure ſint caſſæ, & nullius ualoris, De his autem a libris decem infra quæ fuerunt posſint pronuntiari in ſcriptis,& ſine ſcriptis ſecundum quòd melius uidebitur Domino Comiti, ſecundum ſtatuta,ordines,& conſuetudines Iadræ.

93 Cadentes in penam ex contradictis,dentur in ſcriptis Camerario.

Item quòd Dominus Comes teneatur,& debeat omnes illos qui cadunt in penam ſoldorum duorum paruorum pro libra, pro contradictis incantuũ dare in ſcriptis Camerario quos ipſe camerarius exigi facere teneatur.

94 De debitore in tenutam ſuæ rei conſentiente poni creditorem.

Item quòd quicumque poſitus fuerit cum ſitu debitoris in pagamentũ uel tenutam pro aliquo debito in re aliqua mobili,uel immobili, & de ipſa re ei fuerit queſtio mota per contradictionem incantus, vel alio quocũque modo,& facta diſcusſione, & cauſæ uentillatione in huiuſmodi reperiretur debitorem decepiſſe,& defraudaſſe creditorem ponendo,uel conſentiendo poni ipſum in re ſtabili, uel mobili in pagamentum, uel tenutam in qua re ius non habeat ipſe, idem creditor qui cauſam ammittit ſoluat, & ſoluere debeat nomine penæ Communi Venetiarum ſoldos duos pro qualibet libra, quam penam ſtatim diffinita cauſa, Dominus Comes ſine aliqua dilatione

latione faciat exequi pro Comuni Venetiarum, & nihilominus creditor contra talem debitorem qui fraudem commiſerit habeat de toto debito, & expenſis factis in cauſa recurſum, & regreſſum contra bona, & in bonis debitoris, quæ bona faciat uendi & deliberari ſine aliqua dilatione.

95 Si oppoſuerit alicui eum nõ eſſe cõmiſſariũ ſequẽs ordo ſeruetur.

Item, quòd dominus Comes Iadræ in caſu quo alicui commiſſario oppoſitum fuerit eum non eſſe commiſſarium, & eſſe expellendum de commiſſaria cognoſcere diffinire, & determinare debeat per eius ſententiam ſummarie, ſi talis commiſſarius expellendus erit de commiſſaria, uel ne, & ab eius determinatione, uel ſententia, ſi qua partium ſe grauatam ſenſerit poſsit ſi uoluerit appellare Venetijs, & eius appellatio procedat eo modo quo alie appellationes procedunt, quæ Venetijs tranſmittuntur, & quòd interim videlicet, donec appellatio diffinita non fuerit, ille talis cõmiſſarius, commiſſariam poſsit adminiſtrare prout primitus faciebat.

96 De ferijs, & tempore feriato obſeruando in ciuilibus.

Item quia pluries dubitabatur de ferijs quibus dominus Comes ad audiendum cauſas debite ceſſando ſedere non debet. Ideo firmatum fuit iſto modo, videlicet ante feſtum natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti octo diebus, & per omnia feſta Natalia uſque ad Epiphaniam incluſiue. Item octo diebus ante carnis priuium. Item octo diebus ante feſtum Paſcatis reſurrectionis Domini, & totidem poſt, Item quattuor diebus ante feſtũ Sancti Marci, & totidem poſt incluſiue, Item toto menſe Iulij occaſionẽ meſsium, Item toto menſe Septembris occaſione uindimiarum, Item circa feſtum Sancti Griſogoni tribus diebus ante, & totidem poſt incluſiue, prædictis itaque temporibus Dominus Comes ad tenendum placita ordinate ceſſabit.

97 De appellationibus.

Item, quòd quilibet ſentiens ſe grauatum ab aliqua ſententia ciuili data per dominum Comitem contra eum à libris centum paruorum ſupra appellare poſsit uiua uoce, & in ſcriptis à dicta ſententia, & grauamine ad Magnificos Dominos Auditores, uel vbi neceſſarium fuerit Venetijs, infra decem dies proximos à die latæ ſententiæ, & tranſacto dicto termino, non poſsit amplius ſe appellari, & in totum ipſa ſententia mittatur executioni.

98 Quòd excalumniator debet placitum ſubintrare.

Item, quòd excalumniator abſque citatione ſi ſubintrauerit iuditium, & conuictus fuerit per petitorem debet excalumniare rem uenditam, uel ſi coram Domino Comite ſponte confeſſus fuerit ſe excalumniatorem fuiſſe, uel ſi aſſeuerit ſe rem uelle excalumniare, teneatur placitum ſubintrare, & petitori reſpondere de iure.

99 Quantum mulier poteſt extrahere de domo mariti mortui.

Item, quòd nulla mulier trahere poſsit, neque recipere de domo mariti mortui, pro rebus mobilibus portatis ad domum mariti, nec habere ſuper bonis ipſius mariti dicta de cauſa in pecunia, uel rebus ualentibus, niſi ſolū libras decem paruorum, ſaluo ſi de maiori quantitate portata, appareret publicum inſtrumentum ſecundum formam ſtatuti Iadræ.

100 Probationes admittuntur in caſu ſolutionis debiti negati in litigio.

Item, quòd ſi quis cum ab eo aliquid petitum fuerit negauerit petendi, ſe illud dare debere, & petens probaret illum fuiſſe alias contentum ſe illud petendi debere dare, & talis conuentus negans probare uoluerit ſe ſoluiſſe, quòd non obſtante ſua prima negatione facta, quòd dare non deberet ad probationē ſolutionis ſui teſtes & probationes precipiātur, & admittātur.

101 Allegatur conſuetudo, ante publicationem ſententiæ.

Item, quòd per partem litigantem coram domino Comite in cauſa ciuili poteſt allegari conſuetudo, poſtquàm ſententia eſt appreſentata licet non publicata.

102 Partes inuite non dant eorum iura in ſcriptis.

Item, quòd partes poſsint uerbotenus placitare, & de hoc inuite nō poſſint remoueri, neq; cogi ad dandū in ſcriptis inuite, uel uolentes eorū iura excepto quòd ſi ſentiens ſe grauatum à determinatione domini Comitis, tum, & eo caſu oēs actus in ipſa lite ſeculi debeant redigi in ſcriptis.

103 Quo caſu citetur maritus, & non vxor ſuper re dotali.

Item, quòd ſi qua poſſeſsio data fuerit alicui per ſuam vxorē in dotem, & maritus in poſſeſsionē talis poſſeſsionis intraret, & aliquis diceret illam

ad ſe pertinere,& propterea faceret maritum citari abſq; uxore, & conueniret eundem occaſione prædicta,& maritus allegaret uxorem etiam citari debuiſſe,quòd ſufficiat citatio uiri ſine citatione uxoris.

104 Filiusfamilias non audiatur contra aliquem ſine patris uoluntate.

Item ſi filiusfamilias fecerit aliquem citari ſine patris uoluntate, non audiatur contra citatum.

105 Agere uolentes contra bonorum poſſeſſores incipiat ab ultimo acquirente.

Item,quòd uolentes agere contra poſſeſſores bonorum ſui debitoris debeat primo ab ultimo poſſeſſore incipere,& ſuum ius proſequi,contra ultimum poſſeſſoré,& poſteriora iura,ſiue titula habentem,quàm à primo.

106 Domino villani creditur quod petit à villano ſuo,etiam ſi diſceſſerit à Domino.

Item,quòd Domino villani exiſtentis ſub illo Domino, uel ſi diſceſſerit de villa Domini probantis illum fuiſſe villanum ſuum, tota credentia,& fides adhibetur, de omni eo, quod iurauerit ipſum villanum ſibi teneri, & debere dare cauſa mutui commodati uenditionis, ſiue recomendationis, ſine aliqua probatione.

107 Dominus villani pro eo admittitur in ciuilibus.

Item, quòd Dominus villani poteſt omnia exercere, & comparere pro ſuo uillano coram Domino Comite ſuper quæſtionibus ciuilibus, niſi cauſa fuerit in ſcriptis agitata.

108 Vxor citetur de ſcientia uiri.

Item,quòd cum quis facit citari aliquam uxorem alicuius uiri uiuentis aliquam rem ab ipſa petiturus occaſione ſui uiri mortui, talis citatio fieri debeat data notitia ſuo uiro uiuenti.

109 Quo caſu Dominus poteſt reaccipere uineam locatam ad redrizandum.

Item,quòd ſi quis Dominus locauerit,uel cõceſſerit aliquã uineã alicui uillano ad redrizandũ cũ conditione,quòd debeat eſſe ſuus uillanus, & in

uilla ſua habitare,& dictus dominus promiſerit ſibi facere inſtrumentum de dicta vinea ſi attenderet pacta inter ipſos appoſita, uillano nõ attendente nec obſeruante pacta inter ipſos appoſita, quòd tunc ille dominus habeat libertatem & poteſtatem tollendi dicto uillano vineam ſupraſcriptam, ſine aliqua contradictione ipſius uillani, etiam ſi fecerit inſtrumentum promiſſum facta prius probatione per ipſum dominum coram domino Comite, quòd villanus pacta ſibi non obſeruauit.

110 De teſtamentis Tutoribus, & Commiſſarijs, teſtamentum tenet etiam ſi Cõmiſſarius non eſſet ſubiectus iuriſdictioni temporali ciuitatis Iadræ.

Item firmatum extitit, quòd cum in uno capitulo ſtatuti loquẽtis de facto teſtamentorũ contineatur, quòd aliqua perſona non ſubiecta temporali iuriſdictioni ciuitatis Iadræ nõ poſsit eſſe Cõmiſſarius, uel Cõmiſſaria alicuius perſonæ, & ſi talis perſona dimiſſa, aut dimiſſus erit non ualeat teſtamentum in aliqua parte ſui, & ſi forte aliqua talis perſona non ſubiecta iuriſdictioni dictæ ciuitatis eſſet conſtituta Cõmiſſaria una cum alijs perſonis ſubiectis dicte iuriſdictioni, quòd illud etiam teſtamentum non ualeat, qua re cum prædicta nõ uideantur cũ debito iuſtitiæ facta firmatum fuit, quòd tale teſtamentũ non obſtante dicto ſtatuto ualeat in qualibet parte ſue, ſi alie ſolemnitates contineantur in eo quæ requiruntur ex forma ſtatutorum, & reformationũ Iadræ, excepto, quòd talis Cõmiſſarius, ſiue maſculus, ſiue fœmina nõ ſubiectus iuriſdictioni temporali ciuitatis prædictæ virtute dicti teſtamẽti Cõmiſſarius eſſe nõ poteſt, & in hoc quantũ in Cõmiſſariã nõ ſubiectũ dictæ iuriſdictioni nõ ualeat teſtamentũ, in alijs aũt Commiſſarijs, & qualibet alia parte ſui, ualeat, & teneatur teſtamentũ factũ cum ſolẽnitatibus, ut eſt dictũ, ſaluo ſi ille Cõmiſſarius non ſubiectus dictæ iuriſdictioni uellet ſe ſubdere, & ſubderet, & promitteret domino Comiti reſpondere de dicta Commiſſaria in Curia domini Comitis Iadræ, quo caſu uirtute dicti teſtamenti pro Cõmiſſario ſubiecto dicte iuriſdictioni habeatur & ualeat perfecte teſtamentũ, & ipſe Commiſſariam valeat operari, & ſic illud ſtatutum ſit declaratum.

111 De teſtamentis alterius manu quàm Notarij ſcriptis.

Itẽ, quòd à modo in antea quecũq; perſona uoluerit ſuum condere teſtamentum illud poſsit facere ſcribi per Notarium publicum iuratum Iadræ, uel aliam perſonam fidedignam, dũmodo illud faciat ſcribi ubi non eſt aliquis Notarius iuratus per aliam perſonam fidedignam in præſentia unius Iudicis Examinatoris, uel conſiliarij quecunque uoluerit in præſentia duorum, uel trium teſtium fidedignorum, & talis ſcriptura per talem

modum facta poſt deceſſum dicti teſtatoris, ſcripta per aliam perſonam quàm per notarium infra tertiam diem debeat Domino Comiti preſentari, & quòd iudex Examinator, uel Commiſſarius qui dicto tali teſtamento interfuerit teneatur illud teſtamentum ſigillare, & ſe ſubſcribere, & Domino Comiti preſentare ut eſt dictum, & Dominus Comes poſtea teneatur quàm citius poterit illud redigi facere in publicam formam per Cancellarium ſuum, & talis ſcriptura ſit rata, & eidem perpetua fides adhibeatur, ac ſi facta foret cum ſolemnitatibus, & ſecundum ordines, & ſtatuta Iadræ, non obſtante aliquo ſtatuto, uel reformatione in contrarium loquente.

112 De teſtamentis defunctorum apperiendis.

Item quòd Dominus Comes Iadræ per cancellarium ſuum accipi faciat omnia teſtamenta cauſa quorumcunque defunctorum, quæ inuenerit in locis ad hoc deputatis, quæ preſentari debeant coram Domino Comite, & quòd ipſe Dominus Comes omnia teſtamenta huiuſmodi apperiri faciat, & redigi in publicam formam per eius Cancellarium ſecundum morem dictæ ciuitatis.

113 Si vnus tutor, uel commiſſarius eſſent abſens ſufficit citatio exiſtentium.

Item quòd vbi eſſent tres tutores, aliquorum pupillorum quorum tutor vnus eſſet abſens à ciuitate Iadræ, & aliquis uellet petere aliquid ab ipſis tutoribus, & ob hoc citari faceret illos duos tutores in abſentia tertij tutoris, quòd illa talis citatio eſt ſufficiens ad litigium, & debet procedi per Dominum Comitem in cauſa, coram quo Domino Comite citatio facta eſſet, & idem obſeruetur in factis commiſſariorum.

114 Quòd commiſſarius exeat de bãco, cum tractatur de re cõmiſſariæ.

Item firmata fuit conſuetudo quòd Commiſſarius alicuius perſonæ ſi eſſet conſiliarius Domini Comitis, & coram ipſo aliquid tractaretur ſeu proponeretur quod tangeret Comiſſariam illius Conſiliarij, dictus commiſſarius debeat deſcendere de banco donec de dicto negotio tractaretur.

115 Commiſſarij abſentantes dimittant procuratorem.

Item firmatum fuit cum propter abſentiam commiſſariorũ ſepe ius habentium cauſa in bonis hereditatis defunctorum retardetur, Idcirco ut omnis materia tollatur ſubterfugij, & prolongationis, & vt quilibet ius conſequi ualeat, & habere, quòd ſi aliquis commiſſariorum teſtamentariorum ſeu quomodolibet inſtitutorum, hactenus factorum, ſeu de cetero fiendo-

pretio, quo res tunc communiter uenduntur ſecundum curſum ciuitatis.

117 Quòd iudices examinatores ſe non ſubſcribant inſtrumentis continentibus maiora penæ quarti.

Item quòd nullus ex dictis iudicibus debeat ponere manum in aliquo inſtrumento quod contineat maiorem penam quàm ſit quarta pars debiti, ſeu eius rei, uel pretij quæ, vel quod continetur in inſtrumento.

118 Quòd iudices examinatores non ſe ſubſcribant inſtrumentis, aut teſtamentis, in quibus relinquatur aliquid eccleſiis, Religioſis, aut eccleſiaſticis perſonis.

Item quòd non ponant manum alicui inſtrumento uenditionis, donationis, aut cuiuſcunque alienationis, in quo, ſeu quibus uendatur, donetur, ſiue alienetur res aliquas ſtabilis alicui monaſterio, uel loco religioſo, uel eccleſiaſtice perſone.

119 Quod iudices examinatores non ſe abſentent a ciuitate niſi unus cum licentia Domini Comitis.

Item quod dicti iudices examinatores non poſſint ſe abſentare à ciuitate Iadræ ſine licentia Domini Comitis modo aliquo, uel ingenio ſub pena arbitrio ipſius Domini Comitis auferenda, & quod dictus Dominus Comes non poſſit concedere licentiam niſi uni ex eis, eundi extra ciuitatem Iadræ, ut ſemper in dicta ciuitate duo maneant: & exiſtant.

120 Quod loco conſiliarij deſcendentis propter parentellam examinator ſubrogetur.

Item quod quando aliquis conſiliarius Domini Comitis exiret de iudicio, ſeu repelli meruerit propter parentellam quam haberet cum aliqua partium coram ipſo litigantium, aut quod negotium tangat eum, vel alia iuſta de cauſa, loco talis conſiliarij ponatur unus de iudicibus examinatoribus elligendis per Dominum Comitem, & eidem in omnibus, & per omnia fiat, quando duo conſiliarij, vel omnes quattuor conſiliarij exierint propter dictas cauſas.

121 De pinctarijs ponderibus, & ſtatera fiendis, & tenendis, per vendẽtes.

Item quod fiant duo iuſta pinctaria ſeu pondera, unũ videlicet, ad põdus groſſum, & aliud ad ſubtile, ſecundum conſuetudinem Iadræ, groſſum ſit,

& eſſe debeat decem & octo untiarum ad quod emantur, & uendantur res groſſe, vt puta carnes, ſcpum, Aſungia, caſeus, pix, linum, ſtuppa, ſenum, Plū bum, ramum, ſtagnum, & ſimilia, lana etiam, ideſt quòd libra talium rerum ſit untiarum decem, & octo. Spicieria uero, & bombix, cera, mel, ſiricum, & huiuſmodi res vendantur ad pondus ſubtile, cuius libra ſit untiarum duodecim, & ſimiliter ſtatera una habens ab una parte pondus groſſum, ab altera uero ſubtile, quæ pondera, & ſtatera, & etiam balantie, libra, braciolarium ſiue paſſus, & etiam menſure iuſte eſſe debeant in camera Communis Venetiarum, & quelibet perſona uēdens, & emens aliquas res ponderabiles vel menſurabiles teneatur pondera ſtaterā, & balantias, & menſuras habere iuſtificatas ad ſupradictas, a cauallerio Domini Comitis, & quòd Cauallerius Domini Comitis teneatur, & debeat dare menſuras, & pondera iuſtificata cum predictis unicuique perſone expenſis petentis, ſtacionarie ad mi nutum uendenti res ſupradictas, uel earum aliquas ſcilicet frumentum, bladum, legumen, panem, vinum, carnes, caſeum, oleum, ſpiciariam, bombicem, lanam, linum, pannum, & ſimilia, & etiam mercatoribus bona fide ſine fraude, ſaluis aurificibus, & uendentibus aurum, & argentum laboratum, uel non, qui tenere debeant pondus auri, & pondus argenti ad marcham argenti de Venetiis.

122 De pena habentium menſuras, & pondera non iuſtas, & hoc inquiratur ſaltim ſemel in menſe.

Item quòd Cauallerius Domini Comitis teneatur ſaltim ſemel quolibet menſe cum dictis pinctaribus, & menſuris ire ad inquirendum per ſtationes, & beccaria, & ubicunque uenduntur res, & iuſtificare omnes penſas, ballantias, ſtateras, & pondera, cum dictis pinctareis, & ſtatera Comunis Venetiarum, & ſi quis inuentus fuerit habere tenere ſeu ponderare ad penſas ſtateram ſeu ballantias non iuſtas ſoluere debeat pro banno Communi Venetiarum decem libras paruorum quilibet contrafaciens qualibet uice, & quilibet poſſit contrafacientem accuſare, & habere debeat legitimus accuſator medietatem dicti banni, & tenebitur de credentia, & quòd omnes pēſe ſic iniuſte reperte frangantur, & veniant in Commune Venetiarum.

123 De ſolutione accipienda a Stazonarijs.

Item quod dictis Cauallerius accipere, & habere debeat pro qualibet ſtatione iuſtificauerit unum ſoldum quolibet menſe, & non plus, & nihilominus inquirere poſſit ipſe cauallerius, & iuſtificare infra menſem quotiens eis uidebitur per omnes ſtationes non accipiendo aliquam ſolutionem niſi ut dictum eſt, pro quolibet menſe, & qualibet ſtatione unum ſoldum ubi iuſtificauerit.

124 De uino uendendo ad Tabernam cum uaſis & menſuris iuſtis, & bullatis bulla Cauallerij Domini Comitis.

Item,quòd quicunque uoluerit uendere uinum ad Tabernam teneatur ipſum uendere cum uaſibus bullatis bulla dicti Cauallerij Domini Comitis uidelicet, modium,& medium modij,& quartucium,& medium quartucij ſub pœna quadraginta ſoldorum paruorum, in quolibet caſu ſuprascripto,in hoc capitulo cuilibet contrafacienti, & qualibet uice,& quòd teneatur inquirere prædicta ſaltem bis in menſe perſonaliter menſuras quas iniuſtas inuenerit, uel ſine bulla,aut quicquam de prædictis reducat ad præſentiam domini Comitis uidendas,& examinandas,cuius pœnæ medietas ſit dicti Cauallerij, & alia medietas Comuni Venetiarum applicetur.

125 De accuſationibus contra Beccarios & alios quoſcunq;.

Item,quod ſi quis Beccarius, uel quiſquàm alius fuerit accuſatus uendidiſſe, commiſiſſe, uel feciſſe contra bannum in negotijs ſpectantibus ad offitium dicti Cauallerij,teneatur Cauallerius infra tertiam diem denuntiare dictum accuſatum unum,uel plures notario malefitiorum examinandos per dominum Comitem, & ſi condemnabuntur habere debeat prædictus Cauallerius medietatem talium condemnationum ſi per eum ſciri poterit ueritas,& nihilominus prædictus Cauallerius accuſare poſsit habendo medietatem condemnationum pro modo ſuperius nominato.

126 Quod menſure bladi ſint iuſte ad menſuram Venetam.

Item,quod oēs menſure bladi ſint iuſte ad menſurā Venetam ſicut ordinatū extitit,& quod duo medij modij, & duodecim quarte ut premittitur iuſtificate eſſe debeant pœnes offitiales,& datiarios menſurarum, quas Cauallerius fieri faciat,&pinctaria pondera ſtateram,balantias,braziolarium, ſiue paſſum & decem urnas ad menſurandum uinum iuſtas & ſolitas,ſecundum ordinem Iadræ expenſis Comunis Venetiarum,& quod quælibet perſona,uendens, & emens ad plateam cum dict. modio & quarta menſurare teneatur,& ſimiliter quilibet uendens, & emens uinum menſurare teneatur cum dictis urnis.Similiq; modo quelibet perſona uendens aliquas res, uel merces,habere debeat omnes menſuras,pondera,balantias,&penſas iuſtas,& cum ipſis iuſte ponderare,& menſurare modo ſupradicto ſub pœna librarū quinq; paruorū cuilibet contrafaciēti, & qualibet uice,& quilibet poſsit cōtrafacientē accuſare,& habeat medietatē banni,& teneatur nomē eius ſecretū,& teneatur Dominus Comes publice banniri facere, quod nemo uendens aliquid,quod debeat menſurari,faciat mēſurari ad alias menſuras,quā ſupradictas,ſub pœna dicta,quæ deueniat per modū ſupradictū.

127 De ſtatera Comunis balantijs,& alijs ponderibus,& menſuris tenendis per datiarium ſtateræ in platea Iadræ.

Item,quòd datiarius ſtateræ, tenere debeat ſtateram Comunis, balantias,& alia pondera, & menſuras iuſtas in platea Iadræ & omnibus, omnia iuſte ponderare,& quicunq; tenet in ſua ſtatione, uel appoteca ſtaterã balantias,pondus,ſeu aliquã menſurã non iuſtam,uel non ſignatam ſigno Canallerij, ſoluat decẽ libras paruorũ deueniendas pro dimidia in Comune Venetiarum,& alia in accuſatorem,cuius relatione ueritas habeatur,ceteris autem cunctis perſonis indifferenter ſit pena ſoldorũ quadraginta pro qualibet uice,& quolibet contrafaciente in hoc, & etiã in omnibus in quo, ſeu quibus pœna non eſt ſpecificata,de qua dictus Cauallerius habeat medietatem,& reliquam Comune Venetiarum.

128 De falſa pice, cera,& caſeo.

Item,quòd dictus datiarius, & quiuis alius poſſit Domino Comiti denuntiare,& accuſare omnes differentes falſam picem, ceram,& caſeum de qua falſitate Dominus Comes cognoſcere debeat,& ualeat,ſi falſitas in eis eſſet, uel non, & ſi declarauerit falſitatem fuiſſe commiſſam mittere debeat in ignem ipſas res falſas, medietate ante data accuſatori, verum in pice non intelligantur prædicta, ſi modica aquæ quantitas fuerit in ea, de qua quantitate aquæ modice in prouidentia ipſius Domini Comitis exiſtat.

129 De offitio Tribunorum.

Item,quòd elligantur per Cameram & more ſolito purgentur in conſiſio Iadræ duo Tribuni qui mandare debeant executioni omnes ſententias latas per Dominum Comitem, & habere debeant pro ſuo ſalario denarios quattuor pro libra ſecundum conſuetudinem antiquam uſq; ad ſummam unius iperperi,nec poſsint accipere,nec habere de aliqua ſentẽtia ultra vnũ iperperum prædictũ, & habere debeant dictũ ſuum ſalarium ab illo cõtra quẽ lata fuerit ſentẽtia,& fieri debeant dicti Tribuni pro tribus menſibus.

130 Iuramentum Tribunorum.

Item,quòd dicti Tribuni iurent eorum offitium per hæc uerba,videlicet iuro ad ſancta Dei Euangelia,quòd faciam offitium Tribunatus Iadræ bona fide ſine fraude,& omni die,quando Dominus Comes ſedebit ad placita ſtabo in Curia & audiam omnes ſententias quas ipſe Dominus Comes diffiniet,& ſententiabit,& illas ſententias ducam legaliter ad executionem

ſecundum mandatum ſuum,& infra tertium diem faciam fieri ſolutionem ſiue pagamenta,& monſtras poſtquàm fuerit mihi commiſſum per dictum Dominum Comitem,& moram non fatiam circa prædicta,nec aliquas pro longationes, ſi fuero requiſitus per alteram partium quam ſententiam, & quæſtionem obtinuerit, niſi remanſero de uerbo & mandato Domini Comitis,& ſi non inuenero de bonis illarum perſonarum quæ fuerint ſententiate,uel condemnate ad ſoluendum, uel faciendum aliquid ſecundum formas ſententiarũ Domini Comitis,tunc Dominus Comes contra illius perſonam faciet offitium ſuum, & nullum ſeruitium accipiam, uel accipi faciam occaſione prediſti offitij mei, & ſi aliquis pro me, uel occaſione mei ſeruitium aliquod acceperit,faciam illud reddi,quàm citius ſciuero,& po tero. Item de monſtra quàm fecero in ciuitate Iadræ nihil recipiam ſcilicet ſi fecero extra ciuitatem Iadræ habebo equum,uel barcam & expenſas cibi,& potus,& non aliud.De Arboraticis forenſium lignorum, & barcarũ nauigalium quæ ueniunt in portum Iadræ accipiam arboraticum ſecundũ conſuetudinem actenus obſeruatam,& hæc omnia, & ſingula ſupraſcripta, & omnia quæ mihi fuerint iniuncta, & præcepta per dominum Comitem faciam & obſeruabo legaliter,& bona fide ſine fraude,remotis omni odio amore, timore, & remotis omnibus alijs quæ ſolent hominem à ueritate, & rectitudine remouere.

131 Item,quòd cum per Iadrenſes multa dimiſſoria facta fuerint Monaſterijs & perſonis Eccleſiaſticis ciuitatis Iadræ contra & præter formã ſtatutorum dictæ ciuitatis,relinquentes,& dimittentes aliqui directo modo bona ſtabilia, aliqui per indirectum uſufructus bonorum ſtabilium perpetuo relinquentes,& per conſequens ipſa monaſteria,& eccleſie, ac perſone eccleſiaſtice Dominium ipſorum bonornm,ſtabilium nanciſcuntur contra formam ſtatutorum ciuitatis Iadræ. Ad obuiandum fraudibus,& malitijs quæ in dictis dimiſſorijs committuntur,quodãmodo,& deinceps liceat cui libet Iadrenſi bona ſtabilia dimittere,& legare monaſterijs,eccleſijs,& per ſonis eccleſiaſticis pro libito uoluntatis non obſtantibus ſtatutis, ſeu reformationibus in contrariũ facientibus, cum hac conditione apponenda in legato uidelicet,quòd teſtator in ſuo teſtamento, & legato faciendo mo naſterio,ſiue eccleſie,ſiue eccleſiaſtice perſone apponat, ſiue apponere teneatur,quòd monaſteriũ,ſiue eccleſia, ſiue perſona eccleſiaſtica cui legatũ fieret, teneatur rem ſtabilem, ſibi relictam uendere alicui temporali, ſiue ſeculari perſone ciui Iadrenſi infra ſex menſes, à die qua rem legatam intromiſerit,quod ſi non fecerit, legatum non ualeat nec teneat,ſed in hæredes ipſius teſtatoris propinquiores reuertatur,cuius rei legatæ ipſi propin quiores hæredes,ſeu ſucceſſores defuncti,ſiue teſtatoris poſſeſſionẽ apprehendere ualeant ipſo facto,ad hoc ut prædicta fraus fieri nequeat quo quo modo,& nulli Iadrenſi liceat deinceps ipſis monaſterijs, eccleſijs, ſiue per-

ſonis Eccleſiaſticis dimittere uſufructus alicuius rei ſtabilis abſq; propriè tate in perpetuum,ſiue ad tempus,quod ſi fecerit legatum ipſo iure ſit nullum,& peti nequeat quoquomodo.

Quod cum modificatum fuit per Illuſtriſsimū Ducale Dominium Venetiarum,ut patet ſuis litteris datis Venetijs die quinto menſis Aprilis,Indictione xv. 1437.& regiſtratis in regiſtro albo litterarum Ducalium ad. K.68.& 69.quæ Illuſtriſsima Dominatio Venetiarum vult,& mādat,quòd ille Eccleſiæ,uel perſone Eccleſiaſticæ,quibus de cetero relicte fuerint poſſeſsiones teneantur illas uendidiſſe infra unum annum, & tractum earum ad Cameram ponere impreſtitorū Venetiarum, cum illa condictione, qua relicte fuerint poſſeſsiones antedicte.

Thomas Mocenigo Dei gratia Dux Venetiarum,&c. Nobilibus & ſapiētibus viris Nicolao Venerio de ſuo mandato Comiti,& Vito de Canali Capitaneo Iadræ & ſucceſſoribus ſuis,fidelibus dilectis ſalutem, & dilectionis affectum iam pridem ſexto Iulij,receptis litteris ueſtri comitis, & viri Nobilis ſer Marci Dandulo tunc noſtri Capitanei Iadræ,datis Iadræ xx.Iunij elapſi ſuper limitatione,& tranſactione ſolutionum ſcripturarum fiendarum tam per Cancellarios,quàm per alios ſcribanos Iadræ,& quam tranſactionem nobis miſiſtis notatam cum uno folio incluſo in eiſdem litteris, ipſam tranſactionem uiſam & examinatam per nos uobis remittimus his incluſam,fidelitati ueſtræ propterea mādantes quatenus inquātum ad uos & quemlibet ueſtrum attinet,ipſam obſeruare & obſeruari facere inuiolabiliter debeatis, facientes tranſactiones prædictas in libris actuum ueſtrorum ad futurorum memoriā regiſtrari. Dat. in noſtro Ducali Palatio die xxiiij.menſis Auguſti Indictione xv. 1422.

Primo pro teſtamento ualoris ducatorū cētum auri. lib. tres paruorum.
Item pro cetula dicti teſtamenti libram vnam ſolidos quatuor.
Itē pro teſtamēto ualoris ducatorū ducētorū libras quattuor paruorum.
Item pro cetula dicti teſtamenti libram vnā ſold.quattuor par.
Item pro teſtamēto ducatorū ducētorū uſq; ad ualorem ducatorum quingentorum auri libras quinq; ſol. decem paruorum
Item pro cetula dicti teſtamenti lib. vnam ſol. decē par.
Item pro teſtamento ualoris ducatorum quingentorum vſque mille ducat. libras ſeptem ſol. o paruorū
Item pro cetula dicti teſtamenti lib. duas ſol. decē paruorū
Item pro teſtamento ualoris ducatorum mille uſq; ad quātamcunq; quantitatem libras duodecim ſol. paruorū
Item pro cetula dicti teſtamenti libras tres ſol. o. paruorū
Item pro teſtamēto minoris valoris ducatorū centum lib. duas ſol o. par.

Item pro cetula dicti teſtamenti librain unain ſol. o par.
Item pro qualibet carta ſcripturæ inuentarij lib. o ſol. oct. par.
Item pro quolibet breuiario à libris centum infra libr. unam ſol. duodec.
Item pro quolibet breuiario ualoris librarum centum uſq; ad libras trecentas paruorum. libras duas ſol. decẽ par.
Item pro quolibet breuiario à libris trecentis vſq; ad ducatos ducentos auri lib. quattuor ſol. o par.
Item pro quolibet breuiario à ducatis ducentis uſque ad ducatos quingentos libras ſex ſol. o par.
Item pro quolibet breuiario à ducatis quingentis, uſque ad ducatos mille, & ultra libras octo ſol. o par.
Item pro qualibet ſententia à libris centum infra libram unam ſol. quat. par.
Item pro qualibet ſententia a libris centum uſque ad libras ducentas paruorum librã vnã ſol. duodecim par.
Item pro qualibet ſententia à libris ducentis uſq; ad libras quadringentas paruorũ libras duas ſol. o par.
Item pro qualibet ſententia à libris quadringentis uſque ad ducatos centum auri lib. quattuor ſol. o par.
Item pro qualibet ſententia à ducatis centum uſque ad libras mille paruorum lib. quinq; ſol. o par.
Item pro qualibet ſententia à libris mille, vſque ad ducatos mille libras ſex ſol. o par.
Item pro qualibet ſentẽtia à ducatis mille, uſq; ad quantamcunq; quantitatem libras ſexdecim ſol. o par.
Pro qualibet contralittera lib. o ſol. decẽ par.
Item pro qualibet petitione lib. o ſol. octo par.
Item pro qualibet intentione lib. o ſol. octo par.
Item pro quolibet termino lib. o ſol. duos par.
Item pro quolibet teſte lib. o ſol. octo par.
Item pro qualibet littera miſſiua. lib. o ſol. octo par.
Item pro qualibet littera patente lib. o ſol. ſexdec. par.
Item pro quolibet proceſſu lib. o ſol. octo par.
Item pro quolibet pignere ſcribendo lib. o ſol. vnũ par.
Item pro qualibet præſentatione denarij ſcribẽda lib. o ſol. duos par.
Item pro qualibet affida libram vnã ſol. quinq; par.
Item pro quolibet ſaluoconductu libras ſex ſol. o par.
Item pro qualibet cetula incantus lib. o ſol. octo par.
Item pro qualibet littera commendatoria inſtrumẽtis lib. o ſol. octo par.
Item pro qualibet inſtrumento uenditionis, uel debiti, uſque ad libras quingentas librã vnam ſolidos duodecim,

tentio,& rixa ſit maxima inter ipſos Nauiliorum patronos,& participes de traducendo,videntes periculum ſepiſsime maximum oriri, tum ipſis peregrinis,tum patronis qui illos ducunt. Nos Hector Paſqualigo pro Illuſtriſſimo Ducali Dominio Venetiarum &c. Comes ciuitatis Iadræ, Volumus, etiam rogatu patronum & participum in poſterum cauere, ac noſtra præſenti terminatione, & ordine, ne aliquando ſcandala oriri inter ciues ipſos poſſent atq; pericula peregrinis,quod deinceps nemo audeat,aut præſumat onerare peregrinos in aliquo nauigio minoris capacitatis ſeſtariorum trecentorum,quod ſi fecerit incurrat pœnam librarum uiginti quinq; paruorum pro quolibet centenario ſeſtariorum,quæ pœna diuidatur per tertium inter accuſatorem,& Camerā Ducalem, & reliqua nauilia per ratam partem,& ſi accuſator non eſſet tunc per medium diuidatur uolentes ſeruari hunc ordinem uidelicet,quod quilibet poſt factum publicum præconium teneatur intra terminum trium dierum dediſſe in ſcriptis in Cancellaria comitatus Iadræ capacitatem ſuorum nauiliorum,quæ deputata ſunt pro peregrinis cum omnibus patronorum ſuorum in una cetula ſub pœna priuationis annorum duorum à dicto itinere. Quæ omnes cetule ponantur in uno ſaculo,ſuper quo inſcribatur ſacculus nauiliorum, pro peregrinis, & tunc cum opus fuerit ante aduentum ipſorum peregrinorum per dies quindecim extrahantur cetule omnes de dicto ſacculo, & una cum conſilio patronorum, & participum uideantur & deputentur quot nauilia fuerint neceſſaria pro ipſis peregrinis, quorum nauiliorum cetule ponantur in altero ſaculo, ſuper quo inſcribantur nauilia extracta de primo ſaculo parata pro tranſitu,& notetur primum, ſecundum, tertium, & ſic deinceps donec explecte ſint cetule, & ſic totiens à primo ad alterum ſaculum, donec finiantur cetule, & cum demum incipiatur ut primum, & quoniam ordinariē ſecundum,quod diximus debet primus, ſecundus, & tertius naulizare. Volumus,quod ultimus qui fuerit ſi habuerit debitum onus, uidelicet à libris xxx. ſuperius ſit in ipſius libertate non eundi,& diuidendi ſuos peregrinos per alia nauilia, pro rata parte, & eius cetula reſeruetur pro alia uice, qui omnes euntes, & conducentes teneantur habere non amplius,quàm uiginti homines,& equum unum pro ſingulo centenario ſeſtariorum à quibus etiam pro redditu non habeant amplius, quam ſoldi quinquaginta pro quolibet homine,& ducatum unum auri pro quolibet equo,expectando illos per dies quindecim,uolentes, quod quàm primum uideantur dicta nauilia parata pro itinere per noſtrū Armiraium ac ſenatus ſi erunt ſufficientia nauilia, & munita ſuis corredis, naulis,& alijs neceſſarijs pro tutela nauilij ac etiam peregrinorum, qui Armiraius teneatur ſub ſacramēto referre Domino Comiti qui pro tēpore fuerit de ipſorū ſufficientia,quod ſi nō uidebuntur ſufficientia,caſſentur de numero ſtatuētes quòd ī nullo loco diſtrictus Iadræ poſsint onerari peregrini,quā hic ſub pœna librarū cētū paruorū,quæ diuidatur,vt ſupra videlicet ī portu Iadræ.

Stephanus Gaſtaldus retulit, ſe de mãdato prefati Magnifici D. Comitis ad ſonum tubetæ proclamaſſe in platea magna Iadræ, populi multitudine aſtante, & ad marinam ſupraſcriptum ordinem.

1451. Indictione xiiij. die xj. menſis Aprilis, Retulit & guarentauit mihi Ioanni de Martijs ciui Veneto Notario & Cancellario infraſcripti Domini Comitis Stephanus Gaſtaldio preconũ Iadræ ſe hodie ſono tubæ præmiſſo, & me Notario & Cancellario prædicto continue legente de mandato Magnificorum & generoſorum domini Georgij, Georgio pro Illuſtriſsima Ducali Dominatione Venetiarum honorabilis Comitis, & domini Franciſci Minotto honorandi Capitanei ciuitatis Iadræ, & eius diſtrictus ſuper platea magna Ciuitatis Iadræ publice, & alta uoce præconia multitudine populi asſiſtente, proclamaſſe, & notificaſſe qualiter præfati Domini Rectores ad gloriam & honorem Omnipotentis Dei, eiuſque glorioſiſsimæ matris Sanctiſsimæ Domine Mariæ, & totius Curiæ celeſtialis eorum decreto, & edicto conſtituerunt, quòd de cetero in die veneris ſancti, nemo in ciuitate Iadræ audeat, uel præſumat, tenere ſuas apothecas apertas ſub pœna librarum uigintiquinq; paruorum, pro quolibet contrafaciente. Item quod aliqua perſona cuiuſcunq; condictionis & ſtatus exiſtat non audeat, uel præſumat in dicto die ueneris ſancti emere, vel vẽdere aliquod in ciuitate Iadræ, uel eius burgis, uel etiam à monte citra ſub pœna librarũ quinq; pro quolibet contrafaciente, & qualibet uice qua contrafactum fuerit, quarum penarũ medietas ſit Comunis Venetiarum, & alia medietas accuſatoris.

Calamero fatto ſopra lo peſo del pane quanto die peſar uno ſoldo de pan quando ſe uende la quarta, &c.

per	ſoldi	viij	once	xxij.
per	ſoldi	x	once	xx.
per	ſoldi	xij	once	xviij.
per	ſoldi	xiiij	once	xvij.
per	ſoldi	xvi	once	xv.
per	ſoldi	xviij	once	xiiij.
per	ſoldi	xx	once	xiij.
per	ſoldi	xxij	once	xij.
per	ſoldi	xxiiij	once	xj ÷
per	ſoldi	xxvj	once	xj.
per	ſoldi	xxviij	once	x ÷
per	ſoldi	xxx	once	x.

Forma

Forma priuilegiorum ligarum Comitatus Iadræ.

Nos Petrus Baſadonna pro Illuſtriſs. & Eccellentiſs. Ducali Dominio noſtro Venetiarum &c. Ciuitatis Iadræ, & ſui diſtrictus Comes cõſiderantes, quòd difformitate, ac confuſione priuilegiorũ, & conceſsionum ligarũ huius comitatus nobis cõmiſsi fiebant ultra infinita furta, & rubarias, ac delicta, quàm plures manzerie & extorſiones in iſto Iadertino territorio per hoĩes proprie ligarũ ipſarũ, quod eſt, & erat, nõ ſolum contra honorẽ huius noſtri Regiminis, ſed etiã prelibati Ducalis Dominij noſtri. Itaq; habita vera, & matura informatione ſuperinde cum pro executione expedite iuſtitiæ, tum etiã pro honore prefati Dominij noſtri dicta priuilegia, & cõceſsiones per nos generaliter, ut infra reformata decreuimus noſtris in litteris tranſmittere prefato Sereniſsimo Ducali Dominio noſtro. Dat. Iadræ ſecundo præteriti menſis confirmanda, & approbanda, quã confirmationẽ & approbationẽ dicti Dominij noſtri preſenti die accepimus, ut patet per litteras ſuas infraſcriptas, quo capitula prædicta auctoritate: tenore præſentium cõmittimus, & præcipiẽdo mandamus uobis Iudicibus ligæ ſancti Cipriani, & de cerno, ac quibuſcũq; alijs de dicta liga quatenus fideliter obſeruare, & obſeruari facere debeatis oĩa contẽta in infraſcriptis ueſtris cõceſſionibus, ſeu reformationibus cõfirmatis, vt dictũ eſt per Ducale Dominiũ noſtrum ſtricturis & pœnis in eis expreſsis, & declaratis. Quarũ litterarũ Ducalium tenor talis eſt, videlicet, Frãciſcus Foſcari Dei gratia Dux Venetiarum &c. Nobilibus & ſapiẽtibus viris Petro Baſadonna de ſuo mandato Comiti Iadræ, & ſucceſſoribus ſuis fidelibus dilectis ſalutem, & dilectionis affectum denotaſtis nobis per ueſtras litteras datas, ſecundo Octobris proxime lapſi, quòd ut debite obuietur, & occurratur furtis, derobationibus, & multis exceſsibus, ac delictis, quæ cõmittuntur in Comitatu, & territorio illo, tam per Morlaccos, ſiue Vlacos forenſes, quàm per diſtrictuales noſtros reformaſtis, & ordinaſtis aliqua capitula priuilegiorum & conceſsionum quas lĩge capitula ille hoc à nobis habeat, & miſiſtis nobis exẽplũ capitulorũ reformatorũ de quibus, quia oẽs diſtrictuales, ut ſcribitis contentantur petitis, ut dictas reformationes approbare & confirmare uellimus. Intellectis igitur litteris ueſtris, & inclinati ad cõmoda illorũ fidelium diſtrictualium noſtrorũ, confiſiq; de prudẽtia ueſtra, ipſas oẽs reformationes capitulorũ, ligarũ illarũ per uos factas tenore præſentiũ cõfirmamus, & approbamus ad beneplacitum Dominij noſtri, cũ reſeruatione addendi, minuendi, & corrigẽdi de tẽpore in tẽpus dicta capitula ſicut melius, & vtilius Dominio noſtro uidebitur pro bono & cõmodo ipſorũ noſtrorum fidelium facientes has noſtras in actis Cancellariæ Regiminis ueſtri, ad ſucceſſorũ ueſtrorum memoriã regiſtrari. Data in noſtro Ducali Palatio die 13. menſis Nouemb. Indictione quarta 1455. Tenor ipſorum capitulorum, ſeu reformationum priuilegiorum & conceſsionum talis eſt, uidelicet.

Primo quando caſus acciderit, quòd aliquis Vlacorum, uel aliorum malefactorum ad aliquam uillarum dictæ ligæ inſultum faceret, uel aliquod furtum cõmitteret, tam de die, quàm de nocte, uel in paſcuis & pertinẽtijs dictarum uillarum intentione cõmittendi aliquod damnum, furtum, uel predã, quòd tunc omni mora poſtpoſita quilibet uillanorum dictarum uillarum ſubito audito murmure, uel campana teneatur, & debeat curere ad ſubueniendum damnum paſsis & inſequendum fures, & malefactores, & capto malefactore, teneantur ipſum quàm citius poterunt ligatum Domino Comiti Iadrenſi preſentare, uerum ſi dicta liga, aut ſi aliquis de ipſa tantæ temeritatis reperiretur, quòd dictum malefactorem iam captum dimitteret, cadat ad pœnam librarum quinquaginta paruorum applicandarum Comuni Venetiarum. Deinde ſoluere compellatur damnum paſsis, omnia damna, expenſas, & intereſſe eorum, Item, quòd dicta liga poſsit, & ualeat omnia & ſingula bona animalia, & res quorumcunque furium malefactorum accipere, quorum omnium bonorum medietas applicetur Camere Comunis Venetiarum, & alia medietas dictæ ligæ, de qua medietate, homines dictæ ligæ poſsint facere omne uelle ſuum.

Item ſi caſus accideret, quòd aliquis de furibus, & malefactoribus defendens ſe, & non permittendo ſe capere occiſus, uel uulneratus foret in illo curſu per aliquẽ de dicta liga, & opus foret ſoluendi uraſdam, quòd in tali caſu omnes de dicta liga pro rata teneantur ſoluere dictam uraſdam.

Item ſi aliquis de dicta liga audito murmure ſiue campana, negligens fuerit, ſeu noluerit ire ad curſum, & ſubſidium predictum contra dictos malefactores, quòd ſoluat Comuni Venetiarum libras duas, & alias libras duas dicte lige pro qualibet uice contrafacta.

Item ſi aliquis uillicus dictarum Villarum committeret furtum, uel predam in dicta liga, & contra hoĩes dictæ legæ, uel conſentiens, aut conſcius fuerit de tali furto & damno contra aliquem de ſua liga, uel ſi in domo ſua tenebit, uel mittet ſcienter fures, quòd in quolibet caſuum predictorum oĩa bona ſua, & aĩalia per dictam ligam accipiantur, quarum una medietas ſit Cõis, & altera dictæ ligæ, & inſuper teneantur villici dictæ ligæ dictum furem ligatum conducere ad præſentiã D. Comitis Iadræ, recepturũ condignam punitionẽ pro tali furto. Itẽ ſi aliquis Iudex, ſiue alius officialis dictæ ligæ precepiſſet Villicis, ſeu uicinis ſuis, ut ire deberent ad ſubſidiũ furtũ, vel dãnũ paſsis, uel inſequẽdũ malefactores, uel ſi precepiſſet eis aliquid aliud quod eſſet pro Cõi bono, & utilitate dictæ ligæ, & aliquis negligens fuerit, uel tale preceptum recuſauerit, quòd cadat ad pœnã librarum duarum paruorum Comuni Venetiarũ, & aliarum librarũ duarum dictæ ligæ.

Item ſi aliquis tantæ præſumptionis reperiretur qui Iudici alicui, uel alijs officialibus dictæ ligæ exercentibus officium ſuum iniuriã aliquam diceret, ſoluat Comuni Venetiarũ libras duas, & alias libras duas dictæ ligæ.

Item ſi aliquis de dicta liga percuteret aliquem de dicta liga cum effuſione ſanguinis, quòd cadat ad pœnam librarum decem paruorum appli-

eandarum dictæ ligæ,& poſtea nihilominus ſubiaceat punitioni contra ipſum faciēde per dominum Comitem Iadrenſem, uerum ſi percuteret eum cum pugnis,uel alio modo ſine effuſione ſanguinis,uel notabili macatura, in tali caſu ſoluat ipſi ligæ libras quinque.

Item,quòd ſi aliquis de dicta liga percuſſus,uel vulneratus foret à malefactoribus in ſequēdo ipſos,uel in alio negotio dictæ ligæ, quòd omnes de dicta liga pro rata teneantur ſoluere medico, & medicinas,& alias expenſas quas faceret, uel facere opporteret dictum vulneratum, & ſi poſtquàm haberi poterit de bonis illorum malefactorum,quòd eidem ligæ integraliter per hoc ſatiſfiat,& reficiatur de bonis dictorum malefactorum.

Item quando accideret alicui de dicta liga furatum foret aliquis bos aratorius & recuperari nō poterit infra quindecim dies,poſtquàm furatum eſſet,quòd omnes de dicta liga teneantur dicto patrono bouis,ſoluere bouem quantum extimabitur, & ſi quo tempore recuperabitur ille bos, uel pro eo ſolutum foret eius patrono,quòd in tali caſu dictus patronus bouis teneatur ipſi ligæ reddere id quod ab ipſa liga habuiſſet pro dicto boue.

Item,quòd nullo modo poſsit elligi aliquis Iudex priſtaldus, aut alius offitialis in dicta liga,qui per antea in ipſa liga aliquod furtum commiſiſſet, propter quod furtum punitus eſſet,ex eo quia tales de iure ſuſpecti,& in habiles ſunt ad offitia ſupraſcripta.

Item in cauſis ciuilibus ſumus contenti,& ita auctoritate,& libertate noſtri offitij ad obſeruationē conſuetudinū eorū iudicibus dictæ ligæ damus plenariā licentiā,quòd audire,& diffinire debeat cās ciuiles a libris quinq; infra, & etiā poſſendi cōdemnare oēs incidētes ligna in gaijs lignorum vſq; ad libras quinq; pro qualibet uice contrafacta, & nihilominus tales incidētes ligna ſubiaceant alijs pœnis ſtatutis,& ordinatis per Regimē Iadræ,ad hoc ut dicti gaij creſcere poſsint qui maxime neceſſarij ſunt pro manutenēdis Villicis,cū reſeruatione tamen iuriū illius,ſeu illorū qui ab hmōi ſentētijs,& alijs ferēdis per dictos Iudices appellare voluerint ad Regimē Iadræ.

Item,quòd oēs Iudices Villarū Comitatus Iadræ,ſub quorum Iudicatibus,ſeu villis cōmiſſum fuerit aliquod delictum, teneantur & debeant illi qui ſunt decē milliaribus diſtantes à ciuitate Iadræ,& abinde citra,pœna librarū quinquaginta paruorū applicanda pro dimidia, videlicet Cōi Venetiarū,& alia accuſatori,infra duos dies ad longius predicta malefitia Mag. D.Comiti Iadræ,& offitio Criminaliū denuntiaſſe,& alij vltra decē milliaria per totum teneantur ad longius infra tres dies,& ſi de morte,quòd teneantur ſubito antequàm ſepelliatur interfectus,in quorum teſtimonium preſens priuilegium fieri fecimus,& ſigilli ſancti Marci conſueti noſtri Regiminis pendentis impreſsione muniri. Datis Iadræ die xxv. menſis Nouemb.Indic. quarta 1455.ab incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Prouiſio ſolutionum procuratorum,& Aduocatorum Iadræ pro eorum patrocinio in cauſis praſtito.

